



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus XII. De Homicidio Voluntario & Casuali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

tius ex solutis nasci, cum talis præsumptio ex frequentius contingentibus filiis infamiam irroget, & in parentibus culpam supponat, adeoque cedere debeat præsumptioni, quod nati sint ex legitimo matrimonio, siquidem, dum duæ præsumptiones in uno actu concurrunt, semper prævalere debet ea, quæ delictum excludit, & favorem continet, Castrop. cum Menoch. *de arb. cas. 89. n. 23.* Unde jam Ordinum, beneficiorum, officiorum, dignitatum capaces sunt citra dispensationem. Gonza.

Barb. Wiestn. Reiffenst. *l. cit.* non tamen Canoniatuum, dignitatum, officiorum, quæ ex fundatione vel statuto nobilitatem exigunt; licet enim præsumantur qualitates, quæ communiter insunt, vel necessariae sunt ad excludendum Peccatum, non tamen eæ, quæ communiter non insunt, præsertim ex fundatione vel statuto requisitæ; hæc enim probandæ sunt, nec sufficit earum præsumptio. AA. citati.

TITULUS XII. De Homicidio, Voluntario & Casuali.

CAPUT I.

De Homicidio in genere, & in specie de Pœnis Homicidii injusti.

Quæst. 223. Homicidium quid sit?

R Esp. Homicidium corporale sic dictum, quasi cædes hominis *Can. Homicidium. 23. q. 5. & L. Fulveratus. ff. ad Leg. Aquil.* est violenta exanimatio hominis, seu separatio animæ à corpore facta ab homine. *Farin. prax. crim. q. 119. n. 3. Harprecht. in §. item Lex Cornelia. Inst. de pub. jud. num. 6. Pirh. h. t. num. 1.* Dicitur exanimatio hominis, sub quo intelligitur interemptio scetus animati necdum in lucem editi. *L. necare. ff. de agnosc. lib. dicitur: Ab homine;* quia, si homo à fera seu bruto occidatur, non dicitur propriè homicidium, sed pauperies, juxta *rub. & textum Inst. & ff. si quadrupes pauper. fecerit.*

Quæst. 224. Quotuplex sit Homicidium?

R Esp. Homicidium principaliter præsertim à Canonistis, ut patet ex rubrica præsentis tituli, dividitur, in Voluntarium & Casuale. Voluntarium est, quod vel per se ac directè & expressè intenditur, vel quod citra intentionem quidem, positâ tamen causâ, directè volitâ, ex qua moraliter certò mors alterius secutura provideretur, committitur, v. g. mulier prægnans conculcatur pedibus, vel ita graviter percutitur, ut inde mors factus, qui jam animatus cognoscitur, sequatur, unde Homicidium aliud directè in se, aliud indirectè seu in sua causa voluntarium dicitur. Homicidium casuale, & quidem propriissimè tale est, quod citra hoc, quòd directè vel indirectè intendatur, citràque omnem culpam ex aliqua actione licita merè, fortuitò & casu, accidit. Quamvis etiam tunc censeatur culpabile seu dicatur culposum, dum quis rei illicitæ dat operam, ex qua mors alterius sequatur præter omnem intentionem & prævisionem agentis, etiam dum is omnem diligentiam adhibuerit ad eam evitandam, vel dum quis dat operam rei licitæ, cum tamen tali negligentia & imperitia, ut inde mors alterius etiam non prævisa ex illa negligentia oritura proveniat, unde homicidium casuale in culposum & inculposum dividi solet, ita ferè Reiffenst. *h. t. num. 15.* remittens ad *Carpz. prax. crim. q. 27. num. 3.* de quo paulò post plura. Homicidium voluntarium subdividitur in licitum seu justum, & illicitum seu injustum. Licitum seu justum (quod etiam à Legistis vocari solet necessarium) illud est, quod vel pro necessaria sui alio-

rùmve justa defensione servato moderamine inculpatae tutelæ, vel ex voluntate & præcepto superioris habentis jus gladii, vel jubente lege & hinc justè sit. Injustum, quod contra divinam vel naturalem humanamve legem prohibentem ex intentione committitur. Ita AA. communiter. Homicidium voluntarium injustum iterum subdividitur in simplex, quod absque adjuncta aliqua qualitate & circumstantia augente ejus malitiam committitur; aliud qualificatum, quod quò ad occidendi modum, locum, personam, specialem aliquam qualitatem vel circumstantiam malam habet. Unde aliud est parricidium, dum quis parentes, liberos, sanguine junctos occidit, de quo *suprà tit. 10.* Aliud sacrilegum seu sacrilegium, dum quis occidit personam sacram, puta Sacerdotem, Religiosum, vel profanam in loco sacro. Aliud assassinum seu assassinium, dum quis pecuniâ conductus alium occidit; Aliud proditorium, dum quis nullâ præcedente inimicitâ vel rixâ fingens se amicum à tergo percutit & occidit aliquem. Aliud insidiosum seu ex insidiis, dum quis inimicum suum tale prævidentem occultè certo loco expectans prætereuntem aut accedentem occidit. Aliud veneficum seu veneficum, dum quis propinato inscienti alteri veneno, animo occidendi illum perimit. Ad Homicidium quoque qualificatum reduci solet omne Homicidium deliberatum seu præmeditatum, quod nimirum sedato jam iracundiæ calore præviâ plenâ animi deliberatione committitur, de quo vide *suprà Clarum L. 5. §. Homicidium, n. 8.* ubi etiam ait, quòd talis juxta opinionem magis communem non sit tutus immunitate Ecclesiæ.

Quæst. 225. Quenam pœna statuta Homicidio injusto?

1. R Esp. Primò: Omni Homicidio statuta est pœna mortis, tam Lege divina; *Genes. c. 9. v. 6. Quicumque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis illius. Levit. c. 24. v. 17. Qui percussit & occiderit hominem, morte moriatur. Apocal. c. 13. v. 10. Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi;* quàm lege humanâ civili, §. *item Lex Cornelia. Inst. de publ. jud.* nam et si Homicidis nobilibus statuta olim deportatio in Insulam, seu proscriptio, seu exilium, *L. ejusdem, §. 5. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* correctâ tamen est lex hæc per *L. quoniam. ff. de vi publica, & Const. crim. Carol. à. 37.*

§ 137. ubi omnes indistinctè Homicidæ subjiciuntur ultimo supplicio. Clarus L. 5. v. Homicidio num. 18. citatò Bosf. rit. de Homicid. n. 109. dicens communem & praxi receptam. Et quidem si Homicidium est simplex inferendo Gladio. cir. §. item Lex Cornelia. Si verò est qualificatum, pœna ultimi supplicii exasperatur, commutando Gladium in furcam, rotam, rogam vel addendo Gladio aduentionem ferri & forcipum candentium, truncationem membrorum, juxta Constit. Carolinam. Carpz. l. c. 9. 24. n. 16.

2. Resp. Secundò: Jure Canonico Homicidæ injusto laico statuta excommunicatio, non quidem ipso facto, sed per Judicis sententiam infligenda, nisi pœnitentiæ satisfactionem crimen diluerit. c. 24. q. 3. nequaquam verò morte naturali, dum enim c. omnis. dist. 3. dicitur: Qui eadem fecerit, capite plectatur; id non intelligendum de morte naturali, sed de excommunicatione, quæ mortem animæ inferit seu supponit. Unde Abb. Arg. c. per venerabilem, qui filii sunt legit. propè finem ait, quòd, ubicunque Jure Canonico reperitur imposita pœna mortis, id intelligi debeat de excommunicatione, quæ mors est civilis, per quam separatur anima à gratia Dei, quæ est animæ vita, ut Pirh. h. t. num. 6. citato Farin. pr. crim. p. 4. L. 4. de Homicid. q. 119. num. 57. non quidem verè per se & immediatè privandò animam gratiâ, sed quia hanc supponit, cum nunquam infligi possit excommunicatio major, nisi propter peccatum mortale. Ad Clericum verò injustum Homicidam non extenditur dicta excommunicatio. Pirh. num. 7. Reiffenst. num. 19. juxta c. Presbyter. dist. 81. sed statuitur ei imprimis depositio ab Ordine & Officio. cit. c. Presbyter. Can. si Episcopus. dist. 30. c. inquisitio de accusat. c. sicut. §. fin. h. t. c. iua. de pœnis. Per quam quoque depositionem intelligi nequit mors naturalis. Arg. c. sicut. h. t. desumpti ex Lib. Exod. c. 21. dum ibi dicitur: Si quis per injuriam occiderit proximum suum & per insidias, ab Altari meo avelles eum, ut moriatur, cum sit solum mors quædam civilis, ut Abb. inciv. c. n. 2. & Jo. And. n. 1. Pirh. h. t. n. 8. nisi tamen committat Homicidium qualificatum, propter quod tradi debet Curie Sæculari, & morte affici. Qualiter degradari & tradi potestati Sæculari nequit propter Homicidium simplex. Pirh. num. 9. cum Suar. Tom. 1. de relig. L. 3. c. 11. num. 10. Arg. c. cum non ab homine, de judic. Præter hanc depositionem ab Altaris ministerio etiam propter Homicidium simplex detrudendus erat in arcem monasterium ad agenda pœnitentiâ. cit. c. iua. & quidem in perpetuum, juxta cit. c. si Episcopus. vel saltem ad septennium vel quinquennium, juxta c. sicut. que tamen detrusio in monasterium hodie per consuetudinem sublata est, eique successit pœna carceris, vel condemnatio ad tresmes in perpetuum vel ad tempus, prout qualitas delicti exigit. Farin. pr. crim. q. 119. n. 149. §. 155. Pirh. n. 7. Reiffenst. n. 21. Secundò tali Clerico deliberatè occidenti etiam statuta est pœna privationis beneficiorum obtentorum. c. Clerici, ne Clerici vel Monachi. c. ex lueris, de excess. Prelat. non quidem ipso jure seu facto, sed per sententiam Judicis. Covar. in Clem. si furiosus. p. 2. §. 3. n. 6. in fine. Diaz. pr. Can. c. 98. n. 2. Farin. cit. q. 119. n. 53. Suar. de cens. d. 44. f. 4. n. 33. Pirh. h. t. n. 10. Garc. de benef. p. 11. c. 10. n. 39. Alciat. in c. cum non ab homine, de jud. post. n. 16. Foller. in prax. crim. Can. fol. 276. n. 37. Clar. L. 5. v. Homicidium, n. 21. citans plures alios, R. P. Leur. Jur. Can. Libr. V.

qui de communi testantur, inter quos Igneus in L. necessarios. §. non aliâ. ff. ad Syll. dicat, omnem pœnè Canonistarum & Legistarum Scholam in hanc sententiam declinare, tum quia in pœnis benignior faciendâ interpretatio. c. odia. §. c. in pœnis. de reg. jur. in 6. Tum quia nullum crimen inferit privationem ipso jure aut facto, nisi de quo id ipsum in jure exprimitur, ut Farin. l. c. n. 64. Pirh. l. c. & alii passim. Unde jam talis clericus occultus Homicida suo beneficio priùs ritè obtento licitè & validè uti & frui poterit, usque ad dictam sententiam, nisi id præter recitationem horarum requirit personale exercitium Ordinis Sacri, quem quia exercere nequit propter irregularitatem ipso facto incursum juxta paulò post dicenda, adeoque obligationi suæ satisfacere non potest, tenebitur beneficium dimittere, ubi dispensationem super irregularitate obtinere non vult aut non potest. Reiffenst. h. t. n. 25. citatis Abb. in c. nisi jam pridem. de renunc. n. 1. Covar. l. c. n. 3. Pari modo perpetuò inhabilis est ad omnia beneficia & officia ecclesiastica citra dispensationem obtinenda. Diaz. l. c. Lit. Q. in fine. Farin. l. c. n. 58. quem citat & sequitur Pirh. l. c. juxta expressum textum Trid. sess. 14. de reform. c. 7. ubi: qui suâ voluntate Homicidium perpetraverit, etiam si crimen id nec Ordine Judicario probatum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua beneficia Ecclesiastica, etiam si curam non habeant animarum, conferre liceat, sed omni Ordine ac beneficio & officio ecclesiastico perpetuo careat. Quod tamen ita non intelligendum, ait Pirh. l. c. ut ipso jure sit incapax de novo obtinere beneficia, & collatio ei facta sit ipso jure irrita, sed solum prohibita, dum in Trid. dicitur: Non liceat conferre; pro quo citat Suar. ubi ante f. 4. n. 34. unde sequitur talem collationem prohibitam, adeoque illicitè factam, fore validam, collatâque beneficia ab eo retineri posse usque ad sententiam privationis eorundem.

3. Tertia pœna, (quæ quoque spectat Laicum, & locum habet, dum homicida superstes, & mortis non afficitur) quod privetur successione ejus, quem interfecit, sive ex testamento, sive ab intestato ad eum deferatur, Pirh. l. c. Clarus l. c. n. 22. qui illud ita intelligendum asserunt, ut homicidâ successione non excludatur tanquam incapax, sed ut admittatur ad succedendum, & dein Fideus illam auferat tanquam ab indigno, juxta L. cum ratio. §. fin. ff. de bonis damnat. & hoc de Homicidio voluntario simplici intelligendum videtur. De filio quidem occidente patrem id esse sententiam absolutè communem, cum Butrio conf. 63. in pr. asserunt AA. In eo, autem filius occidit patrem, nepotes seu filii homicidæ possint succedere avo occiso, non ita contentiunt AA. admittit Bald. in L. si quis incesti. c. de incest. nupt. n. 4. Contrariam magis esse communem opinionem, teste Boer. decis. 258. §. 17. & Aufser. p. 4. de Arresto. q. 130. testante sic judicatum à Parlam. Paris. affirmat Clar. l. c. Idem ex Alberico dicens de filiis fratris occidentis fratrem; dum verò maritus occidit uxorem, lucrum dotis transire indistinctè non ad maritum aut Fideum, sed ad hæredes uxoris, tenet, & in facti contingentiâ consuluit, Ruin. L. 5. conf. 11. in fine. Decius conf. 525. & uti communem sequi videtur Roland. in tr. de lucrò dotis. q. 61. sibi que magis placere, ait Clar. l. c. & locum habere, quando maritus uxorem occidit, jure vel consuetudine id permittente, v. g. deprehensam in adulterio.

R

4. Quarta

4. Quarta pœna jure canonico homicidæ voluntario, etiam Laico statuta est irregularitas, ita ut, etiam si homicidium sit occultum, Ordines suscipere, aut in susceptis ministrare nequeat, etiam post peractam pœnitentiam, sine dispensatione summi Pontificis, juxta *c. inquisitionis. de accusat. juncta Gl. ibi. v. si homicidium. C. miror. c. Clericus. dist. 50. c. sicut. c. de catero. h. r. Clem. unic. eodem. Trid. sess. 14. c. 7. & sess. 24. c. 6. de reformat. de qua pœna pluribus in sequent.*

Quest. 226. An injustè mandans aliquid occidi incurrat irregularitatem, aliàsque pœnas statutas homicidis?

1. **R**esp. Primò: Mandans homicidium injustum, si mors sequatur, incurrit irregularitatem, omnèsque pœnas statutas per se injustè occidentibus, adeoque pœnà ordinarià homicidis veris affici potest, Navar. *in man. c. 27. n. 233.* Suar. *de cens. d. 44. f. 3. n. 6.* Avila *de cens. d. 6. f. 2. du. 2.* Pirh. *h. r. n. 20.* cum communi & certa, arg. *L. nil interest. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. c. si quis viduam. dist. 50.* ex ea ratione, quod mandans actum aliquem fieri, est causa moralis, & quidem principalis ipsius actus, & executor solum causa minòs principalis, & quasi instrumentalis in genere moris; Et quod quis per alium facit, perinde est, ac si per se ipsum faciat, *Reg. 72. Juris in 6.*

2. **R**esp. Secundò: Variè extenditur hæc irregularitas ad eum, qui mandat aliquem verberari, licet expressè primò intendat & inhibeat, ne occidatur, vel membro aliquo mutiletur, si tamen mandatarie excedens fines mandati eundem mutilet vel occidat, cum mandando in culpa fuit, & hoc evenire posse, cogitare debuisset, prout decernitur & dicitur *c. ult. h. r. in 6.* & mandando illicitum dans operam rei illicitæ censetur mandare ea, quæ verisimiliter concomitari possunt, adeoque dicta inhibitiò nil prodest, nec relevat protestatiò factò contraria, eaque in dictis nihil operatur, Pirh. *h. r. n. 21.* citatis Jo-And. *in cit. c. ult.* & Franc. *ibidem. v. 3. not. ult.* Secundò, ut mandans adhuc fiat irregularis, etsi mandatum revocaverit, si revocatiò illa ante mortem non innotescat mandatarie; quia, quamdiu hoc non innotescat mandatarie, is agit nomine mandantis, cujus contrarium esset, si mandatarie nomine proprio ageret, & revocatiò ante occasionem sufficienter insinuaverit mandatarie, Navar. *man. c. 27. num. 237.* Dian. *p. 2. Miscellan. resolut. 17.* Reiffenst. *h. r. n. 28.* Tertiò, si non ipse mandatus occidi, sed ipse mandatarie occasione executionis hujus mandati fuit occisus; cum enim exponens se injustè & temerariè propinquo periculo mortis (ut sæpe facit mandatarie intendens ac volens exequi injustum tale mandatum, v. g. occidendo, se defendendo, vel suscipiendo iter valde periculosum) censetur homicida sui ipse mandans directè vel indirectè talem expositionem, ex qua mortem mandatarie sequi posse, prævidere debebat, etsi eam directè non intendebat, est causa mortis mandatarie, adeoque ratiò ejus secuta fit irregularis; ita Sylv. *v. homicidium. L. 4. dicto 7.* Avila *l. c. du. 5. concl. 4.* Suar. *l. c. n. 18. & 19.* Barb. *in c. ult. h. r. n. 6.* Pirh. *h. r. n. 22.* Reiffenst. *h. r. n. 29.* Quòd tamen non videtur carere difficultate; dum mandatarie occasione quidem exequendi mandatum iniquum occidendo alium subit mortem, v. g. dum mero casu, cespitante in itinere equo excutitur, & frangit cervicem, vel trajiciens flumen

submergitur; cum talia pericula & infortunia à mandante nullatenus prævideri poterant aut debebant, adeoque nec expositiò talibus facta, ne indirectè quidem mandari, nisi fortè extraordinariè & insolite mandasset, ut non curato ullo periculo aut infortuno, properaret ad occidendum.

3. **R**esp. Tertiò: Limitari è contra responsionem primò, ut mandans non incurrat irregularitatem, aut etiam pœnam ordinariam, si homicidium re ipsa non sit secutum, quamvis à mandatarie attemptatum, Avil. *l. c. du. 3. in princ.* Barb. *l. c. n. 7.* Pirh. *n. 23.* arg. *L. sepe. ff. de V. S.* quod ipsum tamen sublimitatur, ut etiam morte secuta irregularitatem, aliàsque gravissimas pœnas juris incurrat, qui mandavit Christianum interfici per assassinos, juxta expressum textum, *c. 1. h. r. in 6.* intelligendo hic per assassinos non tantum mandantes, sed & mandatarios, etsi sint Christiani, qui pecunià datà vel promissà, aliòve pretio conducti, ad occidendum aliquem incautum & insontem, uti de consuetudine & communi praxi testatur Farin. *pr. crim. p. 5. q. 123. n. 19. & 22.* apud Pirh. *h. r. n. 25.* licet aliàs magis propriè & conformiùs ipsi juri hoc *c. 1.* juxta *Gl. ibidem. v. formidantes.* Covar. *L. 2. resolut. a. 20. n. 9.* Suar. *de cens. d. 23. f. 4. n. 46.* Pirh. *l. c.* intelligantur per Assassinos infideles quidam subjeçti Principi infideli, à quo instructi & edocti, ut, si quos ille occidi jussisset, nullam pœnam, etiam post obitum timendam haberent, facillimè præfertim oblatà pecunià exquebantur hanc justificationem, de quo alibi plura. Unde jam excommunicatiò *cir. c.* aliàsque pœnæ statutæ ab Ecclesia comprehendere nequeunt mandatarios illos Assassinos propriè tales, utpote infideles, locum tamen habent in fidelibus, dum hi Christianum occidi mandant operà & ministerio illorum Assassinorum infidelium; ut nec locum habere censentur à Covar. *l. c. n. 10. §. 5.* Suar. & Pirh. *l. c.* si infidelis seu non Christianus per alios quoscumque pecunià conductos occidatur. De cætero easdem pœnas ipso facto incurunt tanquam authores criminis, qui Assassinos recipiunt, defendunt, occultant, utcum *Gl. in cit. c. 1. v. receptaverit.* Pirh. *cit. n. 5. in fine.* ipsos quoque mandantes operà infidelium Assassinorum occidi fidelem perpetuò diffidari à populo Christiano, tanquam Religionis Christianæ inimicum, ita, ut à quolibet privato Christiano possit offendi & occidi, & bona illius primò occupantibus cedere, præfertim illis, ad quos temporalis successiò spectat, multoque magis à Fisco occupari, tradit Farin. *cit. q. 123. n. 8. & 12.* Pirh. *n. 26.* qui tamen hanc pœnam spectare sæculares, asserit idem, arg. *cir. c. 1. cum Barb. ibid. n. 13.* Clericos verò committentes crimen Assassinii pœnam depositionis ab Ordine incurtere ipso facto, & privilegium clericale omne amittere, ita, ut capi & puniri per Judicem sæcularem non præcedente degradatione reali possit, eò, quòd videantur ipso jure degradati, etsi doceant Covar. *l. c. §. sexto.* Diaz. *l. c. n. 4.* Farin. *l. c. n. 12.* Clar. *§. fin. q. 36. n. 30.* & 31. citatis insuper plurimis aliis, ac dicens communem, quamvis addat, requiri nihilominus sententiam declaratoriàm, per quam Judex (intellige ecclesiasticus) pronuntiet, esse reum assassinii, Contrarium tamen, nimirum Clericos non amittere privilegium clericale ante actualem & realem degradationem, per quam Curia sæculari traduntur, & licet *cir. c. 1.* solum dicatur, quòd depositiò à lege ipso facto sit imposita, requiri tamen actualem degradationem, antequam Clericus à Judice sæculari corporaliter puniatur, probabilius sentiunt Suar. *de cens.*

cons. l. c. n. 46. in fine. Barb. in cit. c. 1. h. t. in 6. n. 13. quos citat & sequitur Pirh. h. t. n. 26. Secundò limitatur, ita ut mandans non fiat irregularis, si mandatarius sine ejus mandato erat occisurus, eò quòd licet mandans habuerit voluntatem influendi in effectum, de facto tamen non inflexerit, Avila l. c. f. 2. du. 3. concl. 6. contrarium tenente Covar. in Clem. si furiosus. p. 2. §. 2. n. 1. vers. si quis. quod verum esse, si mandatarius occisurus etiam sine mandato, ob mandatum citius occidat, quia tunc mandatum & mandans est causa propinqua accelerationis, secus, si ob mandatum non occidit citius; cum tunc in hoc casu mandans nullo modo in occisionem influit, Barb. in cit. c. ult. num. 8. ex Laym. Pirh. n. 23.

Quest. 227. An & qualiter consulens seu suadens homicidium injustum, consentiens in illud, vel approbans illud, aut ratihabens, incurrat irregularitatem, aliasque pœnas homicidii?

Resp. Ad Primum: Consulens homicidium, vel etiam mutilationem, incurrit quoque irregularitatem, aliasque pœnas homicidii, si efficaciter in illud influit, id est, alter vi hujus consilii homicidium injustum re ipsa committit, illud aliàs non commissurus, quia est vera causa moralis illius, Suar. cit. d. 44. §. 3. n. 10. Pirh. h. t. num. 30. cum communi & certa arg. c. sicut. §. qui verò. §. sin. h. t. c. perniciosè. dist. 1. de pœnit. c. si quis viduam. dist. 50. L. 1. pr. §. L. 3. §. 4. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. Ampliatur responso primò, ita, ut procedat, & fiat irregularis, etiam si alter citra tale consilium fuisset occisurus, si consulendo voluntatem illam determinatam ad occidendum confirmavit, auxit ac impulsit ad promptius, citius aut crudelius occidendum, arg. c. sicut dignum. §. qui verò. h. t. ubi etiam, quòd incitans ad occidendum non ita severè, ac pœnà ordinarià, sed extraordinarià, arbitrio Judicis, secus, ac qui provocat & inducit aliàs non occisurum, utpotè pœnà ordinarià juris, tanquam verus homicida, & causa moralis principalis homicidii, arg. L. non solum. §. Attilianus. ff. de injuriis. Contrarium est, si non incurrit irregularitatem, aliasve pœnas, si consulens non augeat voluntatem occisori, & is æquè promptè occisurus fuisset, Covar. Suar. l. cit. Avila l. c. d. 6. f. 2. du. 3. concl. 3. §. 4. qui etiam ait, idem esse, si consilium non nisi exiguè moveret. Porro in dubio, num is, cui consilium datum, commissurus fuisset delictum sine eo, præsumendum esse, quòd non, quia in dubio non præsumitur quis commissurus delictum, L. merito ff. pro socio. adeòque consulentem in tali dubio fore irregularem, docent Covar. l. c. num. 1. Avila l. c. concl. 5. Pirh. n. 31. Ampliatur secundò, ita, ut consulens adhuc incurrat irregularitatem, etiam si ante executionem revocaverit consilium, secus ac est in mandante revocante suum mandatum, Suar. l. c. §. 3. n. 10. Fatin. q. 129. à n. 23. Pirh. h. t. n. 32. ex ea ratione, quòd rationes, quibus consuluit & suavit, imbuatque intellectum alterius per puram talem revocationem non dilute pergant influere in occisionem. Quòd, si consulens conando illas rationes diluere & persuadere contrarium, uti rehetur, nihil proficiat, debet monere occidendum, ut sibi caveat; an verò hac ratione evadat irregularitatem, dubitari potest, quam illum evadere, si is, cui datum consilium, depositis illis rationibus, quibus mo-

tus fuerat, propter alias causas voluerit, & exequatur homicidium, etiam si non monuerit occidendum, quia consulens cessat concurrere ad homicidium, quòd tunc non tam ex consilio illius, quam ex propria malitia occisoris consequitur, docent Suar. l. c. f. 3. n. 11. Avila l. c. du. 4. concl. 3. qui etiam du. 3. apud Pirh. h. t. n. 32. quòd irregularitatem evadat, qui determinatè occidere, quem alià vià non potest à cæde avertere, consulit minus malum, v. g. percussorem vel mutilationem alicujus membri, quia consilium non est causa mutilationis, utpote consulenti non voluntaria, sed potius causa evitandi homicidium.

2. Resp. Ad secundum: Consentens purè sine ulla cooperatione in homicidium nullo modo perpetrandum, nomine consentientis non fit irregularis, nec ullam pœnam incurrit, etiam si consensum exprimat, quia est solum homicidium mentale, talisque consensus, etsi verbis expressus, efficaciter non influit in eadem, Pirh. n. 27. cum Suar. l. c. f. 3. n. 21. secus est de præbente consensum in homicidium, quòd suo nomine fit, seu propter ipsum ad vindicandum consentientem; quia talis non merè consentit, sed censetur etiam moraliter cooperari homicidio, nisi exterius contradicat, Suar. num. 22. Pirh. l. c.

3. Resp. Ad tertium: Homicidium, etsi suo nomine factum, approbans & ratum habens, cui, antequam fieret, nec consilium, nec favorem, nec auxilium præstitit, non incurrit irregularitatem, nec aliam pœnam jure statutam in homicidas, Host. in sum. h. t. num. 4. §. quid ergo. Covar. l. c. p. 2. §. 1. n. 4. Suar. cit. f. 3. n. 24. Avila. de cens. d. 6. f. 2. du. 6. Pirh. h. t. 28. Laym. L. 3. tr. 3. p. 3. c. 4. n. 6. Wiestn. h. t. n. 62. Reiffenst. n. 48. cum Gl. communiter recepta in c. si quis viduam. dist. 50. v. aut consilio, contra Felin. in c. sicut. h. t. n. 12. Navar. man. 27. n. 233. Mol. de 7. §. 7. tr. 3. d. 33. memb. 4. n. 3. tenentes contrarium, ex ea ratione, quòd ratihabitio retrorahatur, & mandato comparetur, juxta regul. juris. 10. in 6. Idque etiam in delictis juxta L. 1. §. 14. ff. de vi armata. & quidem gravissimis, v. g. Simonia. c. sicut. de Simon. ubi nisi postea consenteris, percussio Clerici, quam suo nomine factam ratam habens incurrit excommunicationem Canonis, c. cum quis. de sent. excom. in 6. Verùm responsio rectius probatur ex eo, quòd irregularitas illa non contrahatur, nisi per concursum ad eadem, vel mutilationem liberè factam, ratihabitio autem homicidii hoc ipso, quòd eo jam perpetrato sit posterior, ad illud concurrere non potuit. Ad hæc non contrahitur irregularitas, præterquam in casibus jure expressis, ut juxta regulam c. is, qui. de sent. excom. in 6. Barb. ibidem. num. 6. Navar. l. c. n. 192. Covar. l. c. p. 1. à n. 3. Suar. de cens. d. 40. f. 4. à n. 8. nullam autem jus existet, quo istiusmodi ratihabitio irregularitas imponatur. Unde jam etiam non fit irregularis, qui homicidam post eadem jam factam recipit, occultat, defendit, etque quid donat, Pirh. n. 29. Wiestn. Reiffenst. l. cit. cum Zæsl. ad hanc rub. n. 2. Ad objecta & jura adducta ab adversariis responderetur, ratihabitionem æquiparari quidem mandato quò ad culpam, non quò ad pœnam, præsertim quæ specialem expressionem in jure requirit, qualis est irregularitas, dom autem quædam jura æquiparant illam etiam quò ad pœnam, speciale est, quorum dispositio utpote pœnalis & odiosa ad casus alios non expressos extendenda non est.

Quaest. 228. An & qualiter cooperantes ad homicidium præstando opem occisori incurrant irregularitatem, ordinariasque penas homicidii?

REsp. Qui auxilium præstando est causa propinqua homicidii, ita, ut eo non præstito non fuisset homicidium patratum, sive directè cooperetur, v. g. percutiendo, vulnerando, sive indirectè, v. g. detinendo aliquem, ne fugiat, vel comitando occisorem, cumque suâ præsentia tuendo & animando, irregularis fit, licet ipse homicidium directè non intendat, Pirh. n. 33. cum Covar. l. c. p. 2. §. 2. n. 2. Sic etiam, si auxilium ferens sit causa proxima & immediata, saltem partialis, seu inæquata, ita, ut sine tali auxilio mors non fuisset secuta, is pœnâ ordinariâ homicidii est puniendus, L. unic. c. de rapt. virgin. arg. L. nihil ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. c. ult. de pœnis. in 6. si verò fuit causa solum remota, pœnâ extraordinariâ & mitiore puniendus, cit. L. unic. & c. ult. de pœnis. Covar. l. c. Pirh. h. t. n. 34. quando plures præmisso consilio, & ex proposito aggrediuntur aliquem ad occidendum, tunc omnes sunt irregulares, & plectendi pœnâ homicidii, etsi ex vulnere ab uno tantum inflicto mortuus sit, sive sciatur, quis illud inflixerit, sive ignoretur, quia omnes illi sunt veluti causa una moralis talis homicidii, & talis associatio auget animum occidentis, Sylv. v. homicidium. 1. q. 11. num. 15. dicto 1. Bart. ad L. ult. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. num. 1. Covar. l. c. p. 2. §. 2. n. 3. in princ. Avila l. c. f. 3. concl. 1. quos citat, sequiturque Pirh. h. t. num. 40. fumentis id ex cit. c. sicut. §. illi autem, h. t. similiter, si plures non consultò, seu ex proposito, sed in rixa ex repentina occasione orta ad eadem unius conveniunt, omnesque vulnus infligunt, etsi singuli non lethale, ex quibus tamen vulneribus moritur, omnes sunt irregulares; quia omnia illa vulnera mortem inferunt, adeoque omnes infligentes illa ad mortem cooperantur. Et quia non consistit, num ex vulnere ab hoc, vel ab alio inflicto obierit, omnes incurrunt pœnam ordinariâ homicidii directè voluntarii, si omnes illud intenderint, aliâs casualis, si præter directam intentionem mors acciderit, Covar. l. c. n. 4. Suar. de censur. d. 45. f. 3. num. 9. Pirh. l. c. prout constat ex c. ult. cans. 23. q. 8. si tamen constaret, quinam vulnera non lethalia inflixissent, tamen si illa vulnera quoque juvent ad mortem, vel hoc ipso, quòd vulneratum reddant debiliorem, ad resistendum vulnere lethali, & ad minimum accelerant mortem, tanquam una causa totalis, jure civili puniuntur ut homicidæ, non quidem pœnâ ordinariâ, sed pœnâ extraordinariâ & arbitrariâ, Pirh. n. 41. cum Covar. l. c. n. 10. quali etiam arbitrariâ pœnâ præter irregularitatem jure civili puniuntur istiusmodi cooperatores, etsi nullum vulnus occiso inflixerint, quin, etsi manus ei non injecerint, dum v. g. comitati sunt occisorem ad patrandam eadem, aut armati ei astiterunt, ad cooperandum ulterius, si necesse, eò, quòd satis præstent ei auxilium, dum hac ratione invalor redditur audacior, & invasus timidior, Pirh. h. t. n. 34. §. 41. cum Fatia. pr. crim. p. 5. q. 131. n. 78. De ceterò, ubi constat, quis ex pluribus, vel etiam, dum unus solus invadens aliquem inflixit vulnus, pœnas omnes tam à jure civili, quam canonico impositas incurrit, sive brevi, sive longo temporis intervallo exinde mors subsequatur, nullâ habitâ ratione malæ curæ, vel aliarum circumstantiarum, quibus minus debite tractatus fuit vulneratus, quia verè est

causa mortis, Gail. L. 2. obser. 111. a. n. 7. Socinus vol. 2. conf. 178. arg. c. significasti. h. t. & L. aut Lex. ff. ad Leg. Aquil. Si verò constet liquidò, vulnus non fuisse lethale, sed vulneratum, vel impetitiâ vel negligentia Medici aut Chirurghi, vel propriâ culpâ, vel accidente aliquo extrinseco obiisse, vulnerantem neque irregularitatem, neque excommunicationem, neque pœnas ordinarias juris civilis incurrere, tradit Socio. l. c. cum Baldo in L. qui occidit. §. 4. ff. ad Leg. Aquil. in dubio autem, an vulnus fuerit lethale, nec ne, Medicis & Chirurgis ad manum non existentibus, vel iis non interrogatis, aut etiam ipsis dubitantibus, vulnerantem esse reum, etiam pœnarum ordinariarum illius, voluit aliqui, eò, quòd in delictis præsumptio fit contra delinquentem, per L. sex plaga. ff. ad Leg. Aquil. Carpz. tamen probabilis defendente esse immunem à pœna ordinaria jure civili statuta, ultimò nimirum supplicio, eò, quòd probationes dubiæ ad pœnam mortis inferendam sint insufficientes, & requiratur certæ lucæque meridianæ clarioris, juxta L. fin. c. de probat. jure tamen canonico in dubio incurritur irregularitas, arg. c. significasti. §. quod si. h. t.

Quaest. 229. Utrum non impediens homicidium, dum potest, ac debet, incurrat irregularitatem?

1. **R**Esp. Primò: Si non impediens tenebatur solum impedire ex charitate, non fit irregularis, Sylv. v. homicidium. 3. q. 5. Nav. in man. c. 27. n. 232. & c. 24. n. 22. Barb. in c. sicut. h. t. n. 18. §. 19. Pirh. h. t. n. 42. Wiestn. h. t. n. 66. cum communi. Arg. cit. c. sicut. §. illi etiam, idque, ut addit Pirh. etiam si omittat impedire ex odio interno occidendi, quin & ex desiderio mortis illius. Ratio responsionis est, quòd homicidium sit delictum contra Justitiam, per quod ad mortem proximi cooperatur vel physicè vel moraliter, quod non facit non impediens mortem, si ad eam impediendam tenebatur ex sola charitate. His non obstante cit. c. sicut. §. illi etiam, ubi dicitur, quòd, qui postuit hominem liberatè à morte, & non liberat, eum occidat, adeoque est irregularis; cum ibi sermo sit non de purè non impediendibus, sed de auxiliantibus, ut patet ex illis verbis: *Sed ut permissoribus opem ferrent, si forte per aliorum violentiam impediuntur;* & seq. vel etiam, ut colligitur ex cit. §. illi etiam, quòd non impediens in foro externo reputetur irregularis, quia præfinitur cum occisore occultam locietatem habere, ut Pirh. Neque obstante c. quanta. de sent. excom. ubi excommunicatio fertur in illum, qui percussionem, cum potuisset, non impedivit, adeoque multò magis irregularitatem, utpote pœnam mitiorem incurrit, qui mortem alterius non impedivit, quia in pœnalibus præsertim irregularitatibus non valet argumentum à casu expresso ad casum non expressum, neque à majore ad minus & contrà. Pirh. l. c. Reiffenst. n. 47. neque obstant alia jura & canones, dum homicidam illum esse dicunt, qui non subvenit proximo in periculo mortis constituto, quia latè loquuntur vel de iis, quia ad hoc tenentur ex officio & Justitia, de quibus

2. **R**esp. Secundò: Qui tenentur ex justitia ad impediendum homicidium & liberandum à mortè (ut sunt Domini respectu servorum, parentes respectu liberorum, & contrà, milites, quibus aliorum custodia commissa, medici ratione stipendii, quod accipiunt obligati ad curandos infirmos, Judices aliique officiales & ministri justitiæ) si sine gravi

suo damno possint impedire homicidium, & non impediunt, incurunt irregularitatem, & Jure Civili puniuntur ut homicidæ; quia sunt causa moralis homicidii, & moraliter habentur pro faciente

homicidium, Avil. l. c. du. 7. Concl. 2. Suar. l. c. f. 4. n. 5. Pith. n. 43. cæterique AA. citati pro resp. preced.

CAPUT II.

De Homicidio casuali & deliberato injusto & necessario ad sui defensionem.

Quest. 230. An & quando ex homicidio casuali incurrantur irregularitas aliæque pœnæ?

Resp. Primò: Ob homicidium minùs propriè casuale (nimirum quod nullo modo est voluntarium, sive nec directè, nec indirectè, nec in se, nec in causa, ad obque omnino inculpabile, quale est commissum ab amente, infante, dormiente, planè ebrio) nulla, sive nec Civilis nec Canonica incurritur, ut patet; quia pœna imposita supponit culpam, hæc autem ultum rationis. Castrop. tr. 29. d. 6. p. 15. §. 4. n. 1. Gobat. tr. 5. c. 20. n. 5. quod tamen attinet ebrium, quamvis cum, qui in plena ebrietate occidit alium, saltem extraordinariâ pœnâ plectendum, & ab irregularitate non excusandum, teneant Gail. l. 2. obser. 110. n. 27. & 28. Sylv. l. c. 9. 4. n. 5. & Cardin. meliùsque sic statuunt Fagund. in præcep. Eccles. 4. l. 1. c. 1. à n. 16. si antequam usu rationis privatus occisionis vel mutilationis periculum prævidit ex eo, quòd novisset semulentum arma corripere & obvios invadere solere, quod tamen negat Nav. man. c. 27. & 28. Covar. in clem. si furiosus p. 3. n. 3. si cædes & mutilatio accidit præter omnem suspicionem, eò quòd ejus periculum non fuerit prævidum, nec prævideri poterit, dum nimirum ebrietas accidit præter opinionem ex Vino multò, quàm estimatur, generosiore. De cætero eum, qui, cum sciret se in plena ebrietate proximum quemvis solere periculose invadere & animo cædis perpetranda se inebriasse probaretur, homicidio secuto pœna illius ordinariâ plectendum, docent Tiraq. de pœn. tempor. cas. 6. n. 10. Harprecht ad §. item lex Cornel. Insti. de publ. jud. n. 287. Hunold. de Inst. Tom. 6. tr. 2. n. 298. quos citat & sequitur Wiestn. h. t. n. 71. eò quòd tale homicidium sit verè dolosum. Secus, si conscientius suæ consuetudinis absque tali animo se inebriasset, ut juxta L. & §. cit. v. virium. Tiraq. l. c. n. 11. Covar. cit. n. 4. Clarus §. fin. q. 60. n. 12. Menoch. de arb. cas. 325. n. 5. Wiestn. n. 72. ex ea ratione, quòd ordinariâ legis Cornel. seu pœna mortis plectatur solum homicidium proposito & dolo malo perpetratum.

2. Resp. Secundò: Ob homicidium propriè casuale, seu secutum ex opere voluntario licito sine omni culpa & dolo, nimirum ad quod cavendum debita diligentia adhibita, non contrahitur irregularitas nisi ulla alia pœna, etiam Juris Civilis; quia tale homicidium nec directè nec indirectè voluntarium imputari nequit ad culpam operanti, adeòque nec ad pœnam, utpotè quæ essentialiter culpam supponit; ita communis tam Theologorum, quàm Canonistarum. D. Thomas 2. 2. q. 64. a. ult. in Corp. juxta L. item Mela. §. 4. l. si putatur in sine. ff. ad leg. Aquil. l. 1. §. 5. C. ad leg. Cornel. de Sicar. c. lator. c. dilectus. c. ex literis. 14. c. ex literis. 15. c. significasti. c. exhibitæ. c. Joannes. c. quidam. h. t. quibus juribus concordat Constit. Carolin. a. 146. & quibus variu hu-

justi modi casus inducuntur. Sic v. g. dictas pœnas non incurrit, qui debitâ cautelâ adhibita ex charitate aut officio levat ægrotum, isque ex isto motu moriatur, item qui ex præscripto medici præbet pharmacum, quod mortem asserit, item dum plures loco & tempore debito pilâ, conis, jaculatione; aliòve honesto & non periculoso lusu se distrahunt unus eorum fortuitò percutitur aut traicitur, item dum aliquo campanam debito modo pulsante pistillum decidens prætereuntem interemit, item dum equitans equum, qui de se feroc non erat, vel ejus ferociam ignoravit, fortè terrefactum cohibere non valens prætereuntem obrivit, item qui ex alto trabem projicit priùs prospiciens, nemine viso, fortuitò transeuntem occidit, quos casus & alios citatis Canonibus, in quibus continentur singuli, declaratos vide apud Pith. h. t. à n. 47.

3. Resp. Terriò: Dum verò in actione vel opere licito adhibita non fuit debita diligentia præcavendi periculum mortis, adeòque admissa culpa lara theologica, ob homicidium inde secutum incurritur irregularitas & aliæ pœnæ juris saltem extraordinariæ, quia tunc homicidium est aliquo modo voluntarium, etsi actio sit licita. D. Thom. l. c. aliæque communiter. Arg. c. presbyterum. h. t. ubi refertur quendam presbyterum causâ disciplinæ seu correctionis percussisse puerum in capite, qui post dies paucos mortuus fuerit, super quo consultus Alex. Papa III. respondit, eum removendum perpetuò ab altaris ministerio & ab officio Sacerdotali deponendum, si puer inde interit vel in aliam infirmitatem incidit, ex qua deinde mortuus; ratio hujus responsi est, quòd, licèt percussio illa bonâ intentione, nimirum correctionis causa, facta, quia tamen percutiens in illa excessit debitum modum & moderatorem, nec percutiendo periculosam partem corporis debitam diligentiam cavendi periculum mortis in castigando adhibuit, culpabilis & imprudens fuit, quin & ipsa actio seu percussio illicita, unde hic casus non ita propriè sumat responsionem, quippe quæ supponit actionem de se licitam, qualis quidem in genere est correctio, non tamen talis quidem in genere est correctio, quæ sit percussione baculi in capite; quare etiam monent DD. Magistros in discipulis castigandis nimium excedentes semper reputandos irregulares, si mors vel mutilatio inde sequatur, præsertim cum levis tantum castigatio magistris sit permilla, per L. sed etsi. §. ult. ff. ad leg. Aquil. & L. seq. præceptoris nimia sævitia culpæ assignetur. Dixi: ob culpam latam theologicam, hoc est, mortaliter peccaminosam, ita ut non sufficiat culpa juridica, admissam in omissione adhibendæ diligentie ad præcavendum periculum mortis incurri dictas pœnas, hanc enim ad hoc requiri, probabilis & cum communiore docent Navar. man. c. 27. n. 251. Suar. de cens. d. 47. f. 5. n. 8. Gonz. in c. de cætero. h. t. à n. 1. Castrop. tr. 29. d. 16. p. 15. §. 4. n. 1. Pith. h. t. n. 63. Dian. p. 4. tr. 2. resol. 21. Gobat. tr. 5. c. 20. n. 1. Wiestn. h. t. n. 82.

Reiffenst. *h. t. n. 187.* Arg. *c. quæstum. de pœnis.* & remiss. ex ea ratione, quòd, dum jura nihil statuunt expressè circa qualitatem culpæ, benignior pars est amplièctenda, ac ideo in materia præsertim irregularitatis, quæ est pœna gravissima, exigitur culpa lata pœnæ proportionata, Arg. *L. semper. ff. & c. in pœnis. de reg. juris in 6.* contrarium, nimirum sufficere etiam levem, tenentibus cum *gl. in c. significasti. h. t. v. scripsisset.* Cajetano *v. irregularitas.* Covar. *l. c. §. 4. n. 9.* & alius, Arg. *c. 7. & 8.* ubi tamen incurri irregularitatem & excommunicationem ex textu deducunt A. A. alij, culpam fuisse gravem.

Quæst. 231. *Nam ob homicidium casuale secutum ex opere illicito inducatur irregularitas aliæque pœnæ juris, dum debita diligentia non omis-
sa?*

R Esp. Non convenire in hoc AA. affirmant absolute cum D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 8. Cajet. *ibid.* Laym. *l. 3. r. 3. c. 10. n. 4.* Fagn. *ad C. ad audientiam. h. t. n. 9.* & alij Canonistæ, præsertim veteres. Arg. *c. dilectus. h. t.* ubi, dum ab irregularitate excusantur, qui operi licito dant operam, si adhibita diligentia ex eo sequatur homicidium, ex quo à contrario inferre licet, ac liberari ab ea, dum ex opere illicito etiam adhibita diligentia sequitur homicidium, & *c. tuanos. & c. sententiam, ne Clerici & Monachi,* ubi Clerici in sacris constituti & Monachi sunt irregulares, si medicinam vel chirurgiam exercentibus etiam omni diligentia adhibita mors sequatur, quòd istiusmodi exercitium ipsis illicitum sit extracatum necessitatis, juxta *gl. in c. tua nos. v. congruebat. & Abb. ibid. n. 2.* & ea ratione moti, quòd per homicidium secutum tam ex opere illicito quam licito facilius inducatur irregularitas, Arg. *c. dilectus & c. Joannes h. t.* Alii è contra apud Suar. *l. c. §. 6. n. 4.* absolute docent contrarium; eò quòd velint tale homicidium non esse voluntarium, alij, ut Covar. *l. c. p. 2. §. 4. n. 10.* Nav. *l. c. n. 121.* Avil. *de cens. p. 7. d. 6. f. 1. du. 1.* Castrop. *l. c. d. 6. p. 15. §. 4. n. 4.* Suar. *l. c. §. 6. n. 9.* Sanch. *de matrim. l. 9. d. 32. n. 5.* Pirh. *h. t. n. 65.* Wiestn. *n. 80.* & c. melius distinguunt, ita ut affirmant, si opus, ex quo sequitur homicidium, ex natura sua periculosum est, & mortis vel mutilationis inducivum, & præsertim si ideo prohibitum, v. g. chirurgiæ, balistaræ & c. respectu imperitorum, cum tale opus exercenti censeatur aliquo modo in causa voluntarium; ita ut, qui hoc voluit, voluisse videatur ipsum homicidium ex juris interpretatione & præsumptione. Secus, si opus illicitum ex se non est ita periculosum, neque ob homicidii periculum prohibitum. Quare irregularis non erit Clericus venationi Clericis prohibita insistens, si hominem, quem adhibita diligentia putavit feram, occidat; adulter, dum ex adulterio sequitur inopinatè cædes adulteræ in adulterio deprehensæ, ita A. A. citati, qui etiam ad argumenta ab adversariis adducta bene respondent, primò, non rectè formari argumentum in pœnalibus præsertim irregularitatibus, cum illæ non contrahantur præterquam in casibus jure expressis. Secundò, quòd casus relatus in *c. tuanos.* specialis sit, quo jus Clericis in sacris constitutis etiam chirurgiæ peritis prohibet illius exercitium ob periculum mortis non rarè cum illo conjunctum, illiusque prohibitionis transgressores ab irregularitate non esse immunes, quoties ex chirurgia extra necessitatem exercita etiam adhibita omni diligentia sequitur mors aut mutilatio, ut Suar. *l. c. n. 12.* cujus contrarium est in Laicis, qui,

etsi iis in pœnam alicujus criminis vel ob aliam causam extrinsecam prohibita sit exercere medicinam vel chirurgiam, non incurunt irregularitatem, si periti artis adhibuerint in curando diligentiam, etiam si mors sequatur, quia exercitium hoc iis prohibitum non est ob periculum mortis, sed solum Clericis, Pirh. *h. t. n. 69.* citatis Suar. *l. c. Avil. l. c. l. 1. du. 2. in fine.* Tertiò irregularitatem non obstante adhibita debita diligentia ex opere illicito quam licito facilius adhuc contrahi, quia dans operam rei licitæ præsumitur adhibuisse porius debitam diligentiam, quam dans operam rei illicitæ, tradit Castrop. *l. c. §. 4. 6.*

Quæst. 232. *An & qualiter in dubio commissi homicidii quis censendus irregularis?*

1. R Esp. Primò: Dum dubium est juris, seu dubitatur, num actui seu in hoc vel illo casu statuta irregularitas, in neutro foro incurritur irregularitas, seu censendus quis non est irregularis. Siquidem, ut jam aliquoties dictum, irregularitas non incurritur, nisi in casibus jure expressis. *c. is, qui. de sent. excom. in 6.* jure autem expressum dici nequit, de quo dubitatur, num de eo lex vel canon aliquis existeret, ac ita cum communi tenent Suar. *l. c. d. 40. f. 5. n. 4.* Sanch. *l. 1. mor. c. 10. n. 42.* Pirh. *h. t. n. 59.* nec obstant textus *c. ad audientiam. c. significasti. c. penult. h. t.* loquuntur enim de dubio commissi homicidii, ac proinde de dubio facti, unde extendi non debent ad dubium juris, quorum dubiorum dispar est ratio in inducenda irregularitate; cum, etsi ea procedat ex facto tanquam ex radice vel occasione, per se autem oritur ex jure, quod eam statuit tanquam ex causa efficiente, & hinc, si jus sit dubium, vel incertum, non posset inducere irregularitatem. Pirh. *l. c. vers. altera pars.*

2. R Esp. Secundò: In dubio facti nimirum homicidii commissi, dum dubitatur, num illud, cui certum est, jure indictam & decretam esse irregularitatem, hic & nunc commissum à Titio, seu is illius causa existeret, in utroque foro externo & interno censendus est irregularis, & is pro tali se gerere tenetur. Covar. *l. c. p. 1. n. 3.* Azor. *instr. mor. l. 2. c. 19. q. 10. & 11.* Suar. *de cens. l. c. §. 5. n. 12. & §. 6. n. 1. 10. & 11.* Sanch. *l. 1. mor. c. 10. n. 42.* Sayr. *in Clav. Reg. l. 1. c. 13. n. 23.* Pirh. *cu. n. 59.* juxta *c. ad audientiam. h. t.* ubi dum dubitabatur, num vulneratus ex occisione seu causa vulneris decessisset, arque ita dubium facti esset, num nimirum presbyter ille vulnerans commississet homicidium, Pontifex tamen judicavit illum irregularem; loqui autem illum de utroque foro, ex eo probatur, quòd ubi non proceditur ex sola præsumptione, forum internum non discrepat ab externo, in dubio autem facti forum externum non fundatur in præsumptione, sed eodem modo supponit rem esse dubiam, sicut supponit forum conscientia, ideòque, qui judicatur irregularis in foro conscientia, debet etiam judicari in foro externo; ad hæc *cit. c.* aperte loquitur de re deducta ad forum externum, ut constat ex principio illius, *ad audientiam Apostolatus nostri pervenit,* hujus igitur irregularitatis incurset ob dubium facti homicidii sunt, si quis foemina dedit causam ad abortum, sed dubitabat, an foetus esset animatus, censendus est irregularis, quia est dubium facti. Sanch. *l. c. n. 43.* apud Pirh. *n. 60.* item qui confuluit homicidium, dum adhibita diligentia dubitat, an suo consilio induxerit ad homicidium, gerere se debet, ut irregularem, cum hoc sit dubium facti, quia

quia dubitat, num suum consilium influxerit in homicidium. Porro regulam illam, quod in dubio pars tutior sit eligenda (uti in presenti casu facit, qui se pro irregulari habet, & hinc abstinere & c. susceptione & ministerio ordinum ad evitandam irreverentiam, cui se exponit non habens se pro irregulari) habere specialiter locum in dubio commissi homicidii, & non universaliter in dubiis juris aut etiam facti aut respectu aliarum irregularitatum, docent Sanch. l. c. n. 4. 8. Suar. cit. f. 6. n. 8. Avil. l. c. d. 2. du. 5. concl. 2. quos citat & sequitur Pirh. n. 60. quia in dubio delicto alius reus est absolvendus, etiam si nihil egerit, cum favorabiliores sint rei quam Actores. Reg. 125. ff. de Reg. juris. & leg. 11. cod. in 6. Notandum insuper, dicitur de homicidio non habere locum in dubio de mutilatione. Sanch. l. c. n. 49. quia, quamvis quod ad irregularitatem æquiparentur homicidium & mutilatio, solum tamen in dubio facti homicidii jure statuta & expressa est hæc irregularitas, adeoque non extendenda ad dubium facti de mutilatione, quæ non est proprie homicidium. Notandum item, quod, quamvis in dubio facti homicidii censeatur quis debeat irregularis quod ad inhabilitatem suscipiendi ordines & ministrandi in illis, non tamen quod ad alias pœnas censendus est irregularis, v. g. ut privetur beneficiis habitis, vel aliâ penâ ordinariâ homicidii puniatur, cum pœna ordinariâ imposita certo delicto non debeat imponi propter delictum dubium, sed ad summum extraordinariâ pro qualitate dubii, ita Pirh. cit. n. 60. cum Sayro l. c. c. 13. n. 25. Sanch. l. c. c. 10. n. 45.

Quæst. 233. Num liceat interficere iniquum accusatorem, falsos testes, à quibus imminet falsa accusatio & iustificatio, & iudicem, à quo pronuntiantur injusta sententia?

Resp. negativè juxta damnatam ab Alex. VII. hæc propositionem: licet interficere falsum accusatorem, falsos testes & falsum iudicem, à quo iniqua certè imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare, cujus propositionis iusta damnatio vel ex hoc factis à posteriore probatur, quod, si hoc liceret, innumera sequerentur absurda, & mala, dum amore proprio exæcati se reputarent, & dicerent innocentes, etsi tales non essent, & occidere niterentur præfatas personas, quin & ipsi iudices, accusatores & testes, ut secutos se redderent, reum vel judicialiter vel privatim occiderent, etiam non exigente justitia, aut occidi facerent, ita Reiffenst. h. t. n. 140.

Quæst. 234. Num occidens aggressorem, quem prius iniquè ad aggradiendum incitavit, fiat irregularis?

Resp. Eum, qui contumeliosis verbis, alapa, adulterio uxoris, similive injuriâ alium injustè affecit, indeque eum ita irritavit, ut injuriantem occidere nitatur, illum, inquam, aggradiendum se injurians, servato moderamine inculpatae tutelæ occidere posse absque eo, quod incurrat irregularitatem, tenent Sylv. v. homicidium. 8. q. 8. Sotus L. 1. de just. q. 1. arg. quos sequuntur Reiffenst. h. t. n. 151. ex ea ratione, quod licet injurians culpabilis sit, dederitque causam ad talem aggradiendum sui, per hoc tamen nullum triburum jus injuriato, ad vindicandum se lethaliter autoritate propriâ, & mortem intentandi injurianti, ideoque, si nihilominus eam intentet, injustus invalor est, & consequenter ab injuriante servato moderamine inculpatae tu-

telæ occidi potest, quod tamen moderamen non servabit is, dum fugiendo vitam servare potest, cum ei tam ignominiosum non sit, fugere & declinare iram illius, quem injustè prius irritavit. Fore tamen etiam in tali casu occidentem irregularem, si ex præcedente injuria sua inferenda hujusmodi homicidii periculum prævidisset; notant Gutt. q. 4. can. L. 2. c. 6. n. 43. Mol. de just. tr. 3. d. 72. n. 2. ex ea ratione, quod licet tale homicidium injustum non sit directè ratione defensionis, sit tamen injustum indirectè & in causa, ac propterea subiectum irregularitati.

Quæst. 235. Quodnam proprie & specialiter hic dicatur deliberatum homicidium.

Resp. Non quodvis homicidium voluntarium, etiam directè intentum, dicitur deliberatum proprie, prout hic terminus is accipitur, sed illud, quod præviâ animi deliberatione, concepto proposito alteri inferendi necem, ex intervallo commissum est, qualis deliberatio & animi propositum, num ex intervallo præcesserit illationem necis, arbitrio Judicis facti qualitatem, & circumstantiis accuratè ponderantis relinquendum, dicit Wicstn. h. t. n. 86. cum Menoch. de arb. cas. 361. n. 1. Farin. pr. crim. q. 125. n. 9. quique tale, seu pro præmeditato habendum esse ajunt, quod nullâ præcedente irâ vel rixâ aut iustus aliquis dolus similive passio præcessit, quod ab inimico capitali ex insidiis vel proditoriè seu amicitiz simulatione post necis inferendæ iustitiam, comminationemve, prævio de ea inferenda tractatu & consultatione, congregando Socios, aliâque ad aggradiendum necessaria comparando, præter morem armis se accingendo, cædis locum frequentando, ad fugam tutumque receptum omnia præparando & c. patratum est, ita Wicstn. l. c. quæ omnia indicant requiri ad tale homicidium deliberationem ex intervallo præcedentem, ita ut, si quis casu obviam habens inimicum irâ commotus eum interficiat, non dicatur homicidium deliberatum, nisi appareat aliunde illum jam antè deliberasse occidere. Clar. §. homicidium. n. 8. suntque hæc & similia conjecturæ, ex quibus necessariò formanda probatio commissi homicidii deliberati, dum ea, quæ in animo consistunt, soli Deo nota, aliter probari nequeunt. Clar. l. c. ubi etiam, quod aliud sit præsumere animum occidendi (quæ præsumptio fieri potest ex loco corporis, in quo inflictum vulnus, ex genere armorum, ex multitudine vulnerum) aliud præsumere homicidium factum præmeditatò.

Quæst. 236. An & qualiter specialiter puniantur rei homicidii deliberati, & num excludantur ab asylo locorum sacrorum?

1. Resp. Primò in genere: Sicut delictum homicidii præmeditati multò gravius est delicto homicidii simplicis, v. g. commissi in rixa subito orta, aut vehementiore passione animi, ita gravior animæaversio in homicidas deliberatos utroque jure constitutarum pœnarum certior executio, difficiliorque remissio, & quidem difficillima relaxatio irregularitatis ei statuta, ut constat ex praxi Curiarum utriusque fori, teste Wicstn. h. t. n. 82. Reiffenst. n. 60. loquens in genere de homicidiis qualificatis, inter quæ est homicidium præmeditatum.

2. Resp. Secundò; homicidas deliberatos sacrorum locorum asylo non defendi, sed inde extractis prome-

promerita supplicia inferenda, statuunt Jura Civilia. *Novell. 17. c. 7.* Quae tamen eorum dispositio secundum se insufficientis foret ad privandum eos hac immunitate, nisi à Jure Canonico. *Can. id constitutum. 17. q. 4. & c. inter alia. de immunit. Eccl. expressè approbata;* quippe cujus solius est statuere de negotiis concernentibus religionem, qualis est materia hæc immunitatis Ecclesiastica. Ab eo itaque illis denegatum quoque asyllum in loco sacro & religioso, tradunt. *Clar. L. 5. §. fin. q. 30. n. 12.* aliis citatis, qui etiam communem vocant, dicens ab ea in practica non recedendum. item *Decian. tr. crim. L. 6. c. 28. n. 15.* *Fachin. controvers. L. 9. c. 3. §. ego.* *Mol. de l. & l. tr. 3. d. 23.* quos citat & sequitur *Wiestn. h. t. num. 89.* adducentes illud *Exod. c. 21. vers. 14. Si quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab Altari meo auelles eum, ut moriatur.* Quod præceptum judiciale legis veteris etiam extinctum morte Christi, *Gregor. IX.* tamen transferendo illud in Decretales, *c. 1. h. t.* fecit esse juris Ecclesiastici. Quod ipsum non solum ad occidendes ex insidiis stricte loquendo (quæ occiso est quasi species quædam Homicidii deliberati) sed indiscriminatim ad omnes deliberatos Homicidas, tanquam insidiarum vitæ proximi structarum ipso nocendi proposito reos, extendunt aliqui, & quod illis præcluso Asyli perflugio statutum sit capitale supplicium, confirmant illo *Exod. c. 21. vers. 12. & 13. qui percusserit Hominem, volens occidere, morte moriatur, qui autem non est insidiatus, sed Deus tradidit eum in manus illius, constituam ei locum, in quem fugere debeat.* Cujus textus pars prior statuens pro pœna mortem, loquitur de volente, hoc est, intendente præmeditatò occidere, pars altera de occidente sine proposito, cui tanquam magis commiseratione digno statuitur locus refugii & immunitatis.

3. Resp. Tertio: Num verò indiscriminatim quicumque deliberatè Homicidii rei Jure Canonico puniantur privatione privilegii immunitatis seu Asyli, in eo, inquam, non conveniunt AA. idque ob diversas *cit. c. 1. h. t.* desumpti ex *c. 21. Exodi* interpretationes, quam diversitatem tantam esse ait *Wiestn. n. 93.* ut *cit. c. 4.* tanquam sensus ambigui juxta *Bart. & Felin.* ad decisionem causarum, præsertim ad Homicidarum deliberatorum indiscriminatim omnium exclusionem juris instar allegari nequeat. Sic primò volunt aliqui, hoc textu venire Clericos criminis hujus reos, quod non nisi morte civili per dignitatis, beneficii, officii Ecclesiastici privationem aut degradationem à Ministerio Altaris amoti damnentur morte naturali, absque eo, quòd gaudeant privilegio Asyli. Quod idem dicendum de Laicis, dum ab Altaris participatione & ipsa fidelium communione remoti. Secundò alii præter nocturnos agrorum depopulatores, de quibus *c. sicut antiquitus. 6. q. 4.* & eos, qui Homicidia vel mutilationes membrorum (intellige etiam non præmeditatò) in ipsis Ecclesiis vel earum cæmeteriis committunt, à Sacro Asylo cum *Innoc. & But.* excludi volunt solum latrones, qui in publicis viis viatores ex insidiis occidunt. Tertio alii *cit. c. 1.* ab Asylo excludi volunt solum homicidas proditorios, ut *Archid. in cit. c. 1. v. etsi fortè.* *Hofst. ibid. n. 2.* *Anchoran. n. 2.* *Fagn. n. 4.* *Farin. L. 1. conf. 76. num. 18.* de Franchis. *decis. 713.* *Sperell. decis. 23. n. 18.* juxta quod colligitur ex verbis *Exodi l. c. v. 14. Si per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab Altari meo*

avelles eum, ut moriatur. Utpote quæ de Homicidio propriè proditorio & doloso, amicitia vel reconciliationis simulatione commisso, ut patet exemplo Joabi occidentis Abner & Amasam specie amicitia deceptos. *reg. L. 1. c. 3. v. 16. & c. 20. v. 7. & 10.* Verùm de utraque hac specie Homicidii deliberati ex insidiis, & proditori in particulari, in sequentibus.

Quest. 237. Ex insidiis patratum Homicidium quod sit, quas pœnas incurrat, & num defendatur asylo?

1. Resp. Ad Primum: Homicidium hoc, quod Homicidio deliberato superaddit qualitatem insidiarum structarum, dicitur illud, quod via lateri insidens, ibique absconditus expectansque illac transeuntem nihil tale prævidentem improvisò adoritur & occidit. *Clar. L. 5. §. Homicidium, n. 9.* *Wiestn. h. t. n. 98.*

2. Resp. Ad Secundum: Homicidium ex insidiis perpetratum, uti longè atrocius eo, quod aperta vi commissum, ita semper graviore pœna puniri consuevit, unde & ipse conatus, si ad actum proximum processisset, capite plectendus, etiam illis, cui ex insidiis inflicto vulnus lethale animo occidendi illum, præter spem convaluisset, adhuc pœnâ ordinariâ Sicariis statutâ puniendum tradit. *Ant. Math. in L. 48. ff. de Sicar. n. 4.*

3. Resp. Ad Tertium: In eo non satis convenire AA. jure veteri decretalium ex insidiis Homicidium committentes non defendi asylo satis certum videtur, ac ita asserit *Wiestner. h. t. 101.* citatis quamplurimis, & inter ceteros *Claro. §. Homicidium, n. 9.* & *§. fin. q. 30. n. 13.* qui tamen absque eo, quòd signatè meminisset juris veteris, absolute ita pronunciat, & tanquam sententiam communem & in practica servandam defendit *Covar. L. 2. ver. c. 20. n. 7.* qui tamen Homicidium insidiosum cum proditorio confundit. *Sanch. conf. L. 6. c. 1. du. 8. n. 26.* ubi tantùm de Homicidio proditorio. *Suar. tr. 2. de relig. L. 3. c. 11. n. 12.* *Decian. tr. crim. L. 6. c. 28.* *Placha in epitome delictorum. L. 1. c. 21. n. 6.* qui ferè omnes scripserunt ante *Gregor. XIV.* cujus constitutio, de qua mox, in contrarium editatur. Idem esse seu non defendi illos asylo locifacri, adhuc hodie dum non obstant *cit. constit.* illâ Gregorianâ sustinent *Gambacurt. L. 5. de immunit. c. 28. n. 3.* *Marius Italus L. 1. de immunit. c. 5. §. 4. n. 3.* *Matth. de re crim. contr. 30.* *Greslet. Anatom. necis prodit. §. 9.* ipsa illa *constit.* Gregorianâ nixi tanquam fundamento suæ opinionis, utpote quâ expressè asylo excluduntur Homicide proditorii, Homicidium autem proditorium & insidiosum sunt ejusdem significationis seu nomina Synonyma. Quod si verum, uti variis rationibus quàm fulissimè evincere conantur AA. apud *Wiestn. n. 105.* usque ad *n. 111.* Idem perperam diceret sentire illos contra *TT. & JC.* plerosque, dum ii juxta *cit. constit.* tuentur, Homicidas proditorios non defendi Asylo Sacro. De cetero tantùm non certum hodie dum esse contrarium, nimirum interfectionem inimici purè ex insidiis, nullâ amicitia simulatione interveniente seu absque prodicione propriè tali factam, jure constitutionis Gregorianæ nulli Homicidæ, nisi sit latro publicus vel Homicidium in Ecclesia aut cæmeterio vel proditoriè aut per assassinum committens, denegantis perflugio ad Asylum Sacrum, non excludendam Asylo, maximo consensu tradunt tam *TT.* quàm Canonistæ, quotquot immunitatem Ecclesiasticam

ex instituto plene tractantur & dictam constitutionem præ oculis habuerunt, ut inquit Wiestn. l. c. unicam & solidam hujus sententiæ rationem dans, quod ex insidiis occidens propriè & in sensu constitutionis Gregorianæ reus non sit necis proditoria, uti idipsum probare quam fusillimè nititur à n. 112. ad n. 119. inclusivè. Ac primò quidem Authoritate Clem. VIII. & Pauli V. Successorum Gregorii XIV. relatorum à Sperell. *decis.* 175. à n. 44. quorum verba recitat. Secundò ex declaratione S. Cong. super negot. Episcop. & regular. Tertio ex praxi variorum tribunalium, & in specie curia Neapolitana teste Genouen. *pr. Neapolit.* c. 94. num. 2. Haunol. *Tom. 6. de l. & l. tr. 1. num. 219.* Quin & in Romana urbis cæterisque Italiae & Christiani orbis Tribunalibus inimicum ex insidiis, non tamen amicitiae similive specie deceptum occidentem pro proditorie occidente non habent, teste Covar. *L. c. num. 7.* Sperel. *cit. decis.* 175. num. 57. Quartò ratione: cum in dubio facris & religiosis locis, ac ad ea fugientibus favorabili & benigniori interpretationi (qualis est illa, quod Homicidæ insidiarii non sunt confundendi cum proditoriis in ordine ad excludendos illos ab Asylo) locus sit, ut etiam ex ipsis adversariis docent Italus & Decian. etsi hoc in puncto sibi contrarii, atque ita C. de Luca *Miscellan. de immunit. disc.* 9. n. 6. licet in criminoforum ad asylo se recipientium odium eorumque ex iis exclusionem jura, cum possunt, late accipi velit, proditoris tamen nomine quasvis insidias in proximi necem structas comprehendentem significationem aperte rejicit.

Quæst. 238. Homicidium Proditorium quid & quotuplex, & num privet immunitate Asyli?

1. Resp. Ad Primum: Homicidium proditorium aliud largè & impropiè tale, dum quicumque proximi sive amici sive inimici vitæ clandestinè circumventionem seu occultam machinationem qualicunque insidiatur, eumque nihil tale prævidentem, adeoque hic & nunc ad defensionem impotentem aggreditur & necat. Aliud propriè & strictè tale, dum quis proximum amicum aut etiam inimicum non quibuscunque, sed sub specie amicitia, societatis, fidelitatis seu obsequii exhibendi dolo simulacione, nullà intercedente rixâ aut inimicitia antecedente, vel saltem per sinceram reconciliacionem sublata, datâve promissione & fide de non offendendo occidit, qualiter Joab Amasam & Abner officiosè amplexando occidit, dicens: *Salve mi frater!*

2. Resp. Ad Secundum: Etiam si Homicidium proditorium utroque modo sumptum, sicut est atrocissimum, ita & severissimis suppliciis & pœnis dignum & obnoxium, solum tamen Homicidium proditorium propriè & strictè tale punitur privacione immunitatis Ecclesiasticæ. Pignat. *Tom. 1. consulti.* 175. num. 3. & *consul.* 37. num. 8. & 20. Farin. *in append. de immunit. c. 9. n. 143.* quos citans Wiestn. *h. r. n. 122.* ait, hanc sententiam hodie dum ita certam & tot DD. suffragiis roboratam, ut in dubium amplius revocari nequeat; probatur præcipuè ex ipsa constitutione Gregoriana, ubi Papa ad tollendam omnem dubitationem ex variis interpretationibus. *cit. c. 1.* occasione verborum illorum: *Per industriam vel per insidias* natam omnis illis expressè ait: qui proditorie proximum suum occiderit, privandum immunitate Ecclesiastica, ex qua intentione Papæ hac constitutionis suæ dilucida declaratione omnem dubitandi & perperam in-

R. P. Leur. *Jur. Can. Lib. V.*

terpretandi occasionem submovere intendens patet, dicta verba in proprio & communi usu recepta significatione accipienda; cum instar regulæ sit, legum humanarum verba, cum possunt, secundum propriam & communi usu comprobata significationem exaudienda. *L. non aliter. ff. de Legat. L. librorum. §. 4. ff. eodem.* & Bartol. *ibid. num. 1.* Confirmatur ex eo, quod Ss. Congregationum ad sensum Constitutionis Gregorianæ quò ad privacionem immunitatis dictis Homicidis proditoriis propriè talibus statutam emanatae decisiones & responsa semper eodem modo, nempe uniformitas rescriptorum & responsorum super eodem articulo redditorum faciat stylum seu praxin Curia Romanæ, Bart. *in L. 2. c. qua sit longa consuet. n. 9.* Cynus *in L. 1. c. eodem.* stylus autem Curia faciat jus, Suar. *de LL. L. 7. c. 5. n. 5.* Castrop. *tr. 3. d. 3. p. 1. n. 3.* arg. *c. quam gravi. de crim. fals.* Semper verò & constanter in dictis congregationum decisionibus per veros homicidas proditorios non intelligi, nisi, qui præcedente amicitia, societate & c. sub specie illius, officii, aut datæ fidei occidunt, nihil tale cogitantem, patet ex earum aliquibus adductis, pro exemplo à Wiestn. *n. 124.* nimirum congregationis *super negot. Episc. & regul. in una Consuetina. 8. April. 1603.* in alia *16. April. 1611.* in una *Rhegiens. 12. Octob. 1602.* in *Boianens. 6. April. 1622.* in alia *congregat. immunit. 8. Aug. 1637.* quâ expressè asseritur, ad probationem homicidii proditorii requiri amicitiam præcedentem, saltem simulatam, ita, ut odium & inimicitia lateat alterum, subintelligendo etiam sub specie illius commissum homicidium, uti proditoris crimen non nisi simulacione amicitia, similive figmento committi, patet quoque ex S. Scriptura, dum Judam proditorem nequissimum Christi non aliter repræsentat per Psalmistam, *Psal. 40. v. 10. Psal. 54. v. 14.* uti hæc loca de Juda passim interpretantur interpretes, Blanck. *in Psal. 40. à n. 27.* & *in Psal. 54. à n. 6.* S. Antonin. *in sum. p. 2. c. 22.* Gerson. *p. 2. serm. de Cena Dom.* qui idcirco proditorem vocat familiarem inimicum. Patet item ex utroque jure; jure canonico ex *Can. Clericus, qui. dist. 46.* prodicionem conjungendo adulationi, dum proditor adulatoris in modum ei, cui stuit insidias, blanditur, ut *Gl. ibid. v. prodicionibus.* & Turrecrem. *ibid. n. 5.* jure civili. *L. cujuscunque. ff. ad Leg. Jul. Majest.* dum exercitus Romani proditor habetur, cujus tanquam ducis, commilitonis, socii, amici, & propterea non suspecti dolo malo in insidias est deductus, arg. *L. omnes. §. 4. L. proditores. ff. de re militar. L. fin. c. qua res export. non deb.*

3. Atque ex hac homicidii proditorii vera, & Constitutioni Gregorianæ deneganti illi immunitatem conformata explicatione pro praxi deducuntur sequentia. Primò, non gaudere illo Asylo, qui parentem, conjugem, dominum, familiarem, commilitonem, socium mensæ vel itineris occidit, quia supponitur inter eos amicitia, seu nulla saltem præsumitur inimicitia præcessisse, prout à S. Congreg. Cardin. Trid. interpret. declaratum testatur Delben. *de immunit. c. 16. du. 20. f. 2. n. 3.* Secundò, inimicum in speciem reconciliatum rancore in animo remanente, eumque non manifestante, alteroque illum rediturum non potente suspicari, occidit illum; quia adhuc sub specie ferio factæ reconciliacionis occidit, Farin. *L. 2. cons. 168. num. 75.* Tertio, eum, qui alterum necat veneno, ut à S. Congreg. Concil. 3. Decemb. 1632. declaratum, teste Pignat. *Tom. 9. consulti. 37. n. 12.* quod ramentum

S

distin.

distinguedum, ut procedat, si veneno diluta potione præscripta à Medico hospes, conviva, domesticus, aliùve sub amicitia, benevolentia, aut officii specie necatur; secus, si hostis, alterve inimicus armis, veste vel alimentis veneno infectis interficitur, quia sub specie amicitia non est insidiatus vitæ illius. Quartò, etiam si, qui sub amicitia specie occiditur, sit infidelis, Farin. l. c. c. 8. n. 120. Castrop. tr. 11. d. unica. p. 9. n. 31. contra Dianam p. 4. tr. 1. resol. 46. In eo verò, num procurantes abortum animatum, sine propriè homicida proditorii, & hinc excludantur ab Atylo Ecclesiastico, non convenit inter AA. affirmat de Gonny de immunit. fallent. 14. idemque asserit Farin. in append. de immunit. c. 9. n. 139. de matribus procurantibus abortum, ex ea ratione astruens huic procuratori malitiam proditoris, quòd infans impiæ matris insidias nec prævidere nec præcavere potuit. Contrarium verisimilius defendunt Leo thesau. for. eccles. p. 1. c. 13. Bonac. d. 3. q. 7. de immun. p. 6. §. 3. n. 6. ex ea ratione, quòd proditio propriè dicta non cadat in infantem, utpote qui usu rationis destitutus, sicut decipere, ita nec decipi potest simulatione alterius aliud verbis exprimentis, aliud animo gerentis.

4. Inferitur è contra, immunitate ecclesiastica defendi: Primò, qui corrivalem, competitorum, æmulum casu occurrentem repente aggreditur & occidit, quia & deliberatio & amicitia, aut amicitia simulatio, qualitates ad proditoria necis constitutionem necessariae deficiunt, Wiestn. b. t. n. 140. Secundò, qui inimicum in proprio ipsius domo, aut in suam debiti alicujus exigendi gratià venientem inermem & incautum occidit, etsi illa cædes saepe præmeditata; quia sub amicitia, vel reconciliationis specie non perpetrata, adeoque proditoris ratione caret, C. de Luca. de immun. disc. 9. n. 8. id probans exemplo proprii facti, in quo ipse sic resoluit. Tertio, eum, qui quemcumque etiam amicum, contubernalem, confanguineum &c. rixa subitò exorta, vel verbo aut facto illatà injurià ad iram commotus occidit; quia tale homicidium præmeditatum non est, quòd autem præmeditatum & deliberatum non est, proditorium non est, utpote quòd præviæ deliberationis qualiteratem involvit, & supponit, Farin. l. c. q. 13. n. 73. Pignat. Tom. 2. consuet. 39. n. 17. Wiestn. n. 142. Quartò, eum, qui alterum provocatum à se occidit in duello, quia patet, non occidi illum proditorie, Farin. l. c. c. 7. n. 171. contra Barb. L. 2. juris eccles. c. 3. n. 101. non obstante ratione, quam is adducit, nempe, quòd duellantes incurrant excommunicationem, & sepulturæ ecclesiasticæ privationem, ex Decreto Trid. sess. 25. c. 19. de reformat. quia exclusionem ab Atylo non infert excommunicatio, aut etiam privatio sacrae sepulturæ, ut Ambrosin. de immunit. c. 8. n. 12. Delben. de immunit. c. 16. du. 20. f. 6. n. 2. Quintò, eum, qui proditorie vulnerat proximum, vel animo necandi ei venenum præbet, si mors non sequatur, Farin. c. 9. n. 145. quia Constit. Gregor. & c. 1. b. t. utuntur v. occiderit, quòd est temporis præteriti, & denotat actum præteritum & consummatum, L. 1. §. 1. ff. quòd quisque juris in alterum. Baldus in L. damn. §. Sabini. ff. de damn. infest. Sextò, eum adhuc defendi immunitate, qui alium deducit ad locum, in quo ab alio prævidet occidendum, docent Dian. p. 6. tr. 1. resol. 12. Delb. cit. du. 20. n. 8. apud Wiestn. n. 146. ex ea ratione, quòd quidem proditorie, non tamen physice, sed moraliter tantum occidat; Constit. Gregor.

autem, & cit. c. 1. loquantur de nece physice, & propriè actione illata. Quòd si verum, etiam defendendus immunitate, qui alteri mandat aut laudet, occidi alium proditorie, sive sub specie amicitia. Verum contrarium probabiliter, si non probabiliter, docet Peregrin. de immunit. c. 7. n. 8. Denique homicida sacrilegatione personarum, v. g. Clericorum, Regularium, quin & Sacerdotum, nisi sub specie amicitia occiderint alium, non excluduntur Atylo, quia homicida proditorii non sunt, Farin. cit. n. 7. n. 114. Delb. l. c. f. 21. n. 1. Giurba conf. 70. n. 9. contra Riccium p. 2. prax. decif. 209. Curtell. de immunit. L. 1. q. 24. docentes, illos parricidas esse, parricidas autem excludi Atylo. Verum nec parricida sunt, ut bene Delben. c. 16. du. 24. f. 21. n. 4. nec parricidii qualitas, præsertim in rixa, aut præcedente inimicitia commissi vim ex Atylo excludendi habet, ut Barb. L. 2. jur. Eccles. c. 3. n. 95.

Quest. 239. Homicidium Assassinum quòdnam dicatur, & quæ pene præter privationem immunitatis ecclesiasticæ ei statuatæ?

Resp. De hoc crimine, tam quòd ad naturam illius, quàm quòd ad pœnas ei statutas sufficienter tractatum, Lib. 2. tit. 2. q. 187. Lib. 3. tit. 49. q. 1028. hoc Lib. cit. 12. c. 1. quo lectorem remitto. Videri quoque potest c. 1. b. t. in 6. quòd Assassinorum pœnas veluti compendio comprehendit.

Quest. 240. An ob homicidium factum ad defensionem propriæ vitæ & membrorum incurratur irregularitas?

1. Resp. Occidens vel mutilans alium ob necessitatem sui corporis seu vitæ defensionem, aut propullandam membrorum suorum mutilationem, servato moderamine inculpatae tutelæ non fit irregularis, ut cum D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 7. in corp. Covar. in Clem. si furiosus. p. 3. §. univ. n. 1. Suar. de cons. d. 46. f. 1. n. 4. Clar. L. 5. §. homicidium. n. 24. dicens, esse indubitatum juris conclusionem, Pirb. b. t. n. 77. DD. communiter, prout constat ex Clem. si furiosus. juncto c. significasti, ubi: Tamest id fieri debet cum moderamine inculpatae tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propullandam: & ex ea ratione, quòd jure naturali, divino ac humano permillum sit, vim vi repellere, c. significasti. L. vi vim. ff. de just. & jure. inferendo etiam, ubi aliter fieri nequit, mortem injusto invasori; ex eo autem, quòd, quia permillum, omni culpâ caret, pœna irregularitatis inferti nequit, sed neque ob defectum lenitatis, cum is non interveniat in eo casu, quo interfectio injusti invaloris assumitur tanquam unicum medium, ad evitandam mortem propriam aut mutilationis, ut bene Suar. l. c. n. 1. unde jam jura antiqua aliàs idem statutentia, ut neque Clericus, neque Laicus ob talem sui defensionem incurreret irregularitatem, nisi dum quandoque contrarium insinuare videntur, non aliter intelligenda, quàm si invasus se aliter defendere potuit, ut Gl. inc. de his. & c. si quis. dist. 50. qualiter etiam explicandum videtur D. Thom. dum l. c. a. 7. ad 3. ait: quòd Clericus, etiam si defendendo interficiat aliquem, sit irregularis. Nec aliud inferitur ex Trid. dum sess. 14. c. 7. de reformat. dispensationem committit ordinario loci, ubi quis vim vi repellendo, ut se à morte liberet, commisit homicidium, quàm quòd id procedat in casu, quo quis excessit moderamen inculpatae tutelæ, quia

se poterat alio modo defendere, ut Pirh. l. c. juxta declarationem Cardin. Concil. apud Gallemart. loc. cit. Concil. n. 3. Porro necesse non esse, ut in specie probetur necessitas defensionis, sed satis esse, ut probetur simpliciter, occisionem factam ad sui defensionem, tradit Clarus v. homicidium. n. 33. citans Bald. in L. solam. c. de testib. n. 11. Decian. in L. ut vim. ff. de f. & f. n. 17. qui dicit communem; addens, se putare ab ea in practica non esse recedendum, nihilominus contrariam esse receptionem, dicit Monchiaca. *Controvers. illust. c. 10. n. 6.* De cætero ampliatur responso primo, ut non fiat irregularis, etiamsi aggredi volentem præventi & occidat; non enim tenetur expectare, donec ab alio præventiatur, modò aliud Medicum evadendi mortem non adfit, Pirh. n. 78. cum Nav. man. c. 25. n. 2. in fin. Secundò, ut etiam juxta dicta sufficiat, ad evitandam irregularitatem, homicidium committi ob defensionem contra mutilationem, si aliter integritas membrorum servari nequit, Suar. l. c. f. 2. n. 6. Sicut enim mutilatio æquiparatur homicidio, ad contrahendam irregularitatem, ita defensio à mutilatione æquiparatur defensionem à morte, quò ad evitandam irregularitatem. Tertio, ut irregularis non fiat, qui ob defensionem necessariam sui occidit innocentem, v. g. furiosum vel amentem, si aliter salvare se nequeat, cum tunc cædes innocentis habeat se per accidens non intenta, sed secuta ex opere licito & necessario, Barb. in Clem. si furiosus. n. 17. Quarto, dum non potens se defendere advocat alium, qui se defendat, & is occidit injustum invasorem, cum, quod licet alicui facere per se, licet etiam facere per alium, & censetur tunc facere per se ipsum, Nav. man. c. 27. num. 212. Pirh. l. c. & apud hunc Avila. Quintò, ut non fiat irregularis, etiamsi occidat cum odio interno, & appetitu vindictæ, modò reverà occidat ad se defendendum, quia tunc actus ille internus non sufficit, ad inducendam irregularitatem, dum homicidium procedit quidem cum illo actu seu odio, non autem purè ex eo; uti procederet purè ex spiritu vindictæ, si post sedatam rixam vulneratus ex intervallo insultum faceret in vulnerantem, eumque occideret, aut mutilaret, Clarus L. 5. §. homicidium, n. 34.

2. Quod attinet ad moderamen inculpatæ tutelæ, (in quo, si excessum, puniri posse excedentem, non quidem pœnâ aliàs ordinariâ homicidii, sed solum juxta excessum illum pœnâ extraordinariâ, & mitiore arbitrio Judicis, & hoc non solum, quando excessit modum ex culpa, sed etiam ex dolo, astruit Clar. l. c. dicens, sic statui communiter) ad moderamen, inquam, illud tria requiruntur, scilicet causa, modus, tempus, ut idem Clar. l. c. & re ipsa alii D. D. ad causam defensionis spectat, ut eam præcedat injusta invasio, ante hanc enim occisio facta non erit sui defensio, sed alterius invasio; sufficit tamen ea certò prævisa, ut mox imminens, quia non est necesse, expectare invadentem, sed is præventi potest, juxta mox dicenda. De cætero justa invasio non est causa, sese defendendi occidendo vel mutilando invadentem, sic ministri justitiæ invadentes reum, ab eo occidi nequeunt, quia hi non invadunt, ut occidant, sed ut mandatum Judicis exequantur, Pirh. n. 92. Ad modum defensionis spectat, ut ea sit proportio nata injustæ invasionis, & non excedat necessitatem defensionem, arg. c. ut fama. de sent. excomm. junctâ L. scientiam. §. 4. ff. ad Leg. Aquil. sic moderamen inculpatæ tutelæ excedit, qui pugnis se invadentem, armis propulsat,

R. P. Leur. Jur. can. Lib. V.

mutilat & occidit: Item, qui occidit eum, quem vulnerando & mutilando repellere poterat ad propriam vitam, & membra tuenda; item, qui occidit & mutilat, dum sine gravi incommodo fugere, vel clamando implorandoque auxilium salvare se poterat: Quod spectat ad tempus, moderamen excedit, qui non in continenti, quo injustam aggressionem patitur, aut quo quis certò eam imminetentem cognoscit, sed ex intervallo, postquam aggressor abiit, aut nocere & aggredi destitit, eundem aggreditur; quia hæc aggressio non habet rationem defensionis necessariæ, sed sumptionis vindictæ, Suar. l. c. n. 9. Pirh. n. 92. qui idem esse dicit cum Farin. pr. crim. p. 5. q. 125. n. 378. de eo, qui aggressorem cadentem in terram occidit, nisi probabiliter timeret, prostratum resurrecturum, & se denuo aggressurum, aut amicos illius continuò accursuros ad ei opem ferendam. Necesse tamen non est semper, ut quis ab altero invadatur, sed potest eum mox se aggressurum prævenire, dum timet, se non posse inimico propius accedenti resistere, quia tunc præventio illa non tam esset aggressio, quam pura defensio, quæ aliàs nimis levis esse posset, Nav. L. 5. conf. 31. b. t. Suar. l. c. f. 1. n. 7. Pirh. l. c. juxta dicta à nobis paulò supra. Jam verò, num hæc tria requisita ad moderamen inculpatæ tutelæ sint servata, prudentiæ & arbitrio Judicis relinquendum, cum de factis particularibus, ob varias eorum circumstantias, regula certa statui non potest; ita Farin. l. c. n. 395. Suar. l. c. Pirh. cit. n. 92. in fine.

Quest. 241. An etiam, pro defensione vitæ & membrorum parentum prolium, fratrum, conjunctorum, imò & extraneorum innocentium liceat injustum aggressorem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ?

REsp. Licetum est, pro defensione vitæ & membrorum tam sanguine conjunctorum, quam extraneorum innocentium occidere injustum eorum invasorem, adeòque citrà quòd incurrat irregularitatem, Farin. pr. crim. q. 124. à n. 267. Clarus §. homicidium. n. 27. citatis aliis, utrumque dicens, esse sententiam communem, & ab omnibus DD. approbatam, arg. Can. fortitudo. 23. q. 3. juncto c. dilecto. §. & quidem. de sent. excomm. in 6. L. 1. §. 4. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. ubi etiam injuriæ criminis reus censetur, qui, cum potest, alium innocentem non defendit, intellige etiam occidendo invasorem iniquum, dum aliter non potest, cum quisque jubetur proximum diligere sicut se ipsum. Unde in Scriptura Exod. 2. v. 11. laudatur Moyses, quòd Ægyptium injustum aggressorem Hebræi occiderit, & absconderit in sabulo. Ampliatur responso à Claro n. 29. ita, ut generaliter indistinctè intelligenda sit, adeòque liceat quoque pro defensione sua, conjunctorumque suorum, imò & extraneorum occidere Clericum injustum invasorem, uti tenent Canonistæ indistinctè, & Abb. in c. si verò il. 1. n. 11. de pœnis, dicit communem, & quidem, ut percussor Clerici in hoc casu non incurrat excommunicationem, (adeòque multò minùs irregularitatem) etiamsi defensor in defendendo modum excedat, modò id ex proposito non faciat, Clar. n. 30. cum Gl. in c. significasti. il. 2. b. t. v. tutela. quam communiter approbatam dicit Curtius Sen. conf. 20. post n. 41. vers. confirmatur.

S 2

Quest.

Quæst. 242. An licitum sit ad defensionem proprii honoris & famæ, dum ea aliter salvari nequit, injustum illius invasorem occidere vel mutilare, & exinde non contrahitur irregularitas?

R Esp. Non convenite in eo usque quaque AA. affirmant Suar. l. c. f. 1. n. 5. & G. Tanner. Tom. 3. d. 4. q. 8. n. 73. Clar. §. Homicidium. n. 26. citans Bart. in L. 1. c. unde vi. n. 8. Pirh. h. t. n. 80. supponunt hi AA. absi lute, nullâ aliâ viâ evitari posse gravem jacturam proprii honoris, ratio illorum satis est efficax, nimirum quod honor & fama sint altioris & præstantioris Ordinis, quàm bona fortunæ, æquiparanturque ipsi vitæ; ita, ut vir honestus magis metuat gravem jacturam famæ & honoris, quàm mortis, juxta L. 1. §. penult. ff. quod metus causa. adeoque, si liceat pro defensione bonorum, ut dicitur q. seq. quin & vitæ, occidere eum, à quo imminet gravis jactura bonorum, multò magis aut æquè licebit pro defensione honoris & famæ. Negant è contra apud Pirh. n. 179. Sylv. v. Homicidium. 3. q. 4. dicto 1. Navar. L. 5. conf. 6. n. 4. h. t. Avil. l. c. p. 3. d. 5. f. 3. du. 2. §. ex his sequitur. Laym. L. 3. tr. 3. p. 3. c. 9. n. 3. Gutt. 99. can. tr. 2. c. 6. n. 43. Mol. de 7. & 7. tr. 3. d. 72. n. 5. Wiestn. h. t. n. 34. ex ea ratione, quod rarissimè detur casus, in quo pro defensione famæ & honoris id liceat, cum ordinariè loquendo fama & honor non tantùm aliis competentibus mediis reparari possit, sed & aliâ viâ, ne lædatur, salvari potest, & in specie, dum imminet injuria personalis, seu infamia irroganda publicè fugiendo, non secus ac dum periculum vitæ imminet ab invalore. Quod tamen distinguunt utriusque sententiæ AA. ita, ut procedat, si fuga non sit probrofi, seu, si fugere potest, non tantùm sine periculo vitæ, sed & sine dedecore & infamia; qualiter fugere potest Clericus vel Religiosus, & homo vilis conditionis, aut in eo loco ignotus, & hinc fugere tenetur ad servandum moderamen inculpatae tutelæ, & vitandam irregularitatem; & qualis non est vir nobilis & militaris, cui probrosum, si invalore fugiat, ac proinde non peccat, nec fit irregularis, si persistat, seque defendat, etiam occidendo invalorem, ut verisimilius defendunt Covar. l. c. p. 3. §. unie. n. 1. & 4. Cönninck. d. 18. du. 6. n. 90. Bonac. de cens. d. 7. q. 4. p. 6. n. 4. Wiestn. n. 36. nec tale homicidium in foro sæculari puniri penâ saltè ordinariâ, ait Pirh. cit. n. 79. quamvis tamen, ut idem citans pro hoc Navar. man. c. 27. n. 211. & Laym. ubi ante incurrat irregularitatem ex defectu lenitatis non fugiendo, dum potest, quia mansuetudini & Christianæ charitati magis conforme tolerare injuriam, nisi tamen fugiendo se periculo exponeret, ne aggressor velocior cursu ipsum assequeretur, & ex fuga factus audacior illum occideret, aut mutilaret. De cætero reflectendum ad propositiones damnatas, huic sententiæ neganti admodum faventes, & tantùm non eam exprimentes quarum prima est Alexand. VII. Septima, & sic habens: *Licitum est religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel religione spargere munitantem occidere, quando modus se defendendi non suppetit, aut suppetere non videtur, qualis cum Religioso & Clerico suppetat, nempe fuga secundum dicta paulò antè, utique illicitè se defendit occidendo alterum; altera Innoc. XI. fas est viro honorato occidere invalorem, qui nititur calumniam inferre. Idem quoque dicendum, si quis impin-*

gat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustus statim fugit, de quibus videntur, qui ex professo in propositiones ab iis Pontificibus damnatas scripserunt.

Quæst. 243. Num licitum sit ob defensionem bonorum temporalium occidere injustum illorum invasorem, idque fiat absque eo, quod incurratur irregularitas?

R Esp. Primò: Ob bonorum legitime possessorum, dum magri momenti sunt, nec aliter defendi aut recuperari possunt, defensionem, licetè invalorem iniquum mutilare & occidere, docent Per. Nav. l. 3. de rest. c. 4. n. 418. Clar. v. homicidium. n. 25. citatis plurimis aliis, dicens communem Legistarum, Covar. in Clem. si furiosus. p. 3. §. unie. n. 6. infine. Suar. de cens. d. 46. f. 2. n. 10. Less. l. 2. de just. c. 9. du. 1. i. dicens sententiam hanc practicè tutam, & in rigore juris veram. Castrop. de cens. d. 6. p. 15. §. 8. an. 7. cum satis communi aliorum. Arg. l. 1. c. unde vi. & ex ea ratione, quod cum, tale homicidium non sit omnino voluntarium, ac per se intentum, cum solaterum suarum defensionem tendatur, ex qua cædes per accidens sequi censetur, tum quia bona quodammodo vitæ, ad quam conservandam sunt necessaria, æquiparantur, ut cum gl. communiter recepta in L. Advocati. c. de Advocatis, divers. judicior. Clar. l. c. Tiraquell. de Nobilit. e. 31. an. 364. Pirh. h. t. n. 86. Reiffenst. n. 138. Wiestn. n. 40. adeoque si ad vitam tuendam occisio est necessaria defensio, & licet, ita etiam dum necessaria est ad servanda bona temporalia magni momenti, saltè quorum amissione constitueretur quis in extrema vel gravi necessitate ratione status tuendi, Ad hæc, nisi permilla in hoc casu esset etiam occisio, homines improbi læpius moverentur ad diripienda bona, ut ex Suar. l. c. n. 7. Pirh. Reiffenst. Wiestn. l. cit. quæ in contrarium opponuntur ab adversariis, quia præcipuè spectant irregularitatem, diluuntur paulò post. Dixi tamen primò: *bonorum legitime possessorum*; nam non licet occidendo defendere ea, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus, cum id ipsum damnatum ab Innoc. XI. propositione 32. uti & damnata est hæc propositio: *licitum est tam heredi quàm legatario contra injustè impediendum, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter (id est, defensione occisiva) defendere, sicut & jus habenti in Cathedralam vel Præbendam contra earum possessionem injustè impediendum, rationes justas damnationis harum propositionum vide apud Scriben. in propositiones damnatas. Dixi secundò: res magni momenti*; ob res enim exigui momenti servandas contra invalorem earum, dum aliter servari nequeunt, non licet occidere invalorem hodie dum certum est ex damnata ab Innoc. XI. hac propositione: *regulariter occidere possunt furem propter conservationem unius aurei. Dixi tertio: si res alio modo defendi, aut ablata recuperari possunt*; quia si id fieri potest, v. g. clamando, alios in auxilium evocari, vel invalorem capiendi, vel si rem in judicio aliove modo moraliter certò recuperandam constet, non licet talis occisio, quia est contra moderamen inculpatae tutelæ. Arg. l. 1. c. unde vi. Sic exposita responsio extenditur quoque ad Clericos, ut & hi non secus ac Laici bona ad vitam necessaria licetè & impunè contra injustos invalores, etiam vi & armis, & adhibita etiam occisione illorum, si aliter fieri nequit, defendere liceat; quia jus hoc naturale est, ut constat

ex c. olim. de rest. spol. ad eoque id specialiter non inhibitur Clericis, ut Pirh. h. t. n. 91. cum Suar. l. c. n. 10. contra gl. in c. suscepimus. h. t. v. ligaverunt. Abbatem ibidem n. 3. & n. 4. & alios quosdam, afferentes Clericum fieri irregularem, qui, si mortis periculum effugere potuit, occidit alium ad se suaque defendenda. Sed de irregularitate speciatim.

2. Resp. Secundò: Sed neque in dicto casu incurritur irregularitas, ut speciatim Covar. l. c. n. 6. in fine. Suar. l. c. n. 4. Less. cit. c. 9. n. 73. Barb. in c. interfecisti. h. t. n. 4. Gonz. in c. si perfodiens. h. t. n. 11. Wiestn. cit. n. 40. Castrop. l. c. citatis insuper Filuc. tr. 20. c. 5. q. 6. n. 146. & q. 7. n. 149. Bonac. de irregul. d. 7. q. 4. p. 6. n. 10. Gasp. Hurtad. de irreg. d. 2. diff. 20. Arg. c. quare. Dist. 50. ubi ab Urbano II. ab impedimento Canonico immunitis pronunciat, qui occidit ob defensionem suae libertatis, unde inferitur, non solà defensione vitæ evitatis irregularitatem; ratio quoque est, quòd irregularitas in hoc casu neque inducitur ex delicto; cum juxta jam dicta occisio talis vacet delicto, neque ex defectu lenitatis, qualis non intercurrit, dum inferenda imminet gravis injuria aliter non propulsabilis; & irregularitas solùm contrahitur, quando auctoritate publicà, hoc est, in bello justo, aut vi sententiæ judicialis quis occiditur & mutilatur.

3. Nihilominus contrarium, nimirum adhuc in dicto casu incurrit irregularitatem etiam in defendendis rebus magni momenti, etsi id non exprimat, docent cum gl. in c. 2. h. t. Abb. ibidem. n. 2. Sylv. v. homicidium. 2. q. 16. n. 11. Nav. in man. c. 15. n. 4. ubi ait: id ipsum observare stylum Curiae Romanæ, qui jus facit, c. quam gravi. de crim. falsi. Molin. de just. tr. 3. d. 72. n. 3. Laym. cit. n. 9. n. 3. & alii fundantes se in variis Juribus Canonice. Et primò quidem in Clem. si furiosus. h. t. dum ibi ab irregularitate excipitur solùm occisio facta propter servandam vitam propriam, adeoque non excipi factam ad defensionem bonorum temporalium à sensu contrario rectè inferitur, verùm respondetur cum Suar. l. c. n. 5. & Barb. loc. argum. juris. 27. n. 28. & 39. argumentum à contrario sensu non procedere in materia pœnali præsertim in irregularitate, nec esse sufficiens, ut irregularitas in tali censeatur expressa. Ad hæc, sicut in cit. Clem. etsi solùm exprimat furiosus & dormiens, comprehenditur tamen etiam ebrius, item, etsi solùm loquatur de evitacione mortis, idem tamen sit de evitacione mutilationis; ita similiter, etsi in ea exprimat solùm defensio vitæ, non tamen propterea excluditur defensio bonorum temporalium. Pirh.

h. t. n. 87. cum Suar. l. c. n. 6. & 7. Secundò in c. h. t. dum ex verbis illius: te tuaque liberando; colligi volunt, ad evitandam irregularitatem necessariò requiri, ut unà cum bonis vita periclitetur. Verùm responderetur, dicta verba: te tuaque: accipienda non conjunctim, sed divisim, ita ut sensus sit: si te vel tua defendendo occideris alium, non eris irregularis, ne aliàs sequatur absurdum, quòd ob solam vitam defendendam non liceret alium occidere absque irregularitate. Ad hæc in materia favorabili, qualis est hæc, facienda est ampla interpretatio. Felin. in cit. c. 2. n. 5. Covar. l. c. n. 6. vers. sed & Suar. l. c. n. 8. & in iure sapius, ubi materia sic exigit, Et pro vel accipitur L. saepe. ff. de V. S. Tertio in c. suscepimus. h. t. dum ibi imputatum fuit Monachis ad culpam & irregularitatem, quòd fures seu latrones res eorum auferentes occiderint: Verùm responderetur, quòd excesserint moderamen inculpatæ tutelæ, ut patet ex eo, quòd occiderint fures rebus furtivis jam recuperatis, & res recuperatas aliò transferendo absque vitæ suæ & rerum periculo servare potuissent, antequam fures (quos ligaverant, & vel sic usi non tam licitâ defensione, quàm punitione propriâ auctoritate factâ) vinculis eximerent. Covar. l. c. vers. undecimò. Suar. n. 10. ad hæc, ut inquit Papa, fuerunt res illæ viles. Quarrò in c. significasti. h. t. ubi Presbyter, qui latroni ornamenta ecclesiæ asportanti, ligone arrepto, vulnus lethale infixerat, etsi id fecerit ad defendenda bona Ecclesiæ suæ curæ commissa, declaratur irregularis. Verùm responderetur, quòd nec Presbyter ille servaverit modum inculpatæ tutelæ, & usus defensione non necessariâ ad res salvandas, cum clamare potuisset, aliorumque opem implorare; siquidem parochiani statim adfuerunt & succurrerunt, ut Pirh. n. 90. cum Suar. n. 11. Unde ex his jam rectè inferit Pirh. hanc sententiã ex Jure Canonico sufficienter probari non posse. Nec denique multùm urget ratio adversariorum desumpta ex lege Charitatis, quâ quis tenetur vitam proximi præferre bonis suis temporalibus. Verum siquidem id est, dum proximus versatur in extrema vel gravi necessitate, & aliâ viâ juvari nequit; secus si in nulla necessitate constitutus, voluntariè & ex malitia res alienas invadit, tunc enim non tenemur res proprias dimittere, sed eas defendere possumus etiam occidendo invasorem, si eas alio modo servare nequimus; cum bona temporalia magni momenti necessaria sunt ad vitam propriam (quæ præferenda est vitæ proximi) sustentandam; ita Sylv. v. excommunicatio. 6. q. 9. Covar. cit. n. 6. Pirh. cit. n. 90.

CAPUT III.

De Homicidio justo & licito, privatâ aut publicâ auctoritate commisso, & irregularitate inde proveniente.

Quest. 244. An, & à quo justè & licitè occidi possit adulter?

1. **R** Esp. Primò: In foro contentioso licet parti impunè occidere adulterum deprehensum in adulterio cum filia, juxta L. patri. ff. de adulter. modò adfint sequentia, de quibus in cit. l. patri. & seq. nimirum, quòd pater eodem impetu occidat & filiam;

quòd filia sit in potestate patris, quòd illam occidat in domo sua vel generi, non autem alibi, quòd filia sit nupta, quòd deprehendatur in ipso adulterio, ita Clar. l. 5. §. homicidium. n. 48. qui id ipsum ita extendit, ut pater possit occidere adulterum, etiam si is sit Clericus, citrà quòd incurrat excommunicationem, & pœnas. c. si quis suadente. 17. q. 4. pro quo citat Bermond. de concub. fol. 267. n. 5. qui dicit communem, uti id ipsum de injiciente violentas ma-

nus in talem Clericum adulterum docet Mol. *ir. 3. d. 99. in princ.* Laym. *loc. paulo post citando*, juxta *c. si verò, de sent. excomm.* impunè quoque occidi Judicem vel Magistratum deprehensum in adulterio, tenet Clar. citans Barr.

2. Resp. Secundò: Adulterum deprehensum in adulterio à marito cum propria uxore, si est vilis persona, posse impunè occidi in propria domo, non alibi, tradit Clar. per *l. marito. ff. de adulter.* citans Paris. *l. 4. cons. 154. n. 12.* attestantem de communi Legistarum & Socin. Jun. *l. 20. cons. 34.* secus verò esse, si adulter non sit vilis persona, quem tamen si occiderit, non afficitur quidem ultimo supplicio propter justum dolorem, sed pœnâ mitiore v. g. relegatur vel mittitur in exilium, juxta *l. si adulterium. §. Imperatores. ff. de adult. & l. Grachus c. eod. tit.* Non tamen maritus deprehensum Clericum in adulterio, si eundem percutiat, incurrit pœnas *can. si quis suadente.* juxta *c. 3. de sent. excomm.* cujus contrarium est in sponso per verba de futuro, si is percutiat Clericum cum sponfa fornicantem. Clar. *n. 49.* Num verò tam pater quàm maritus in casibus, in quibus ipsi occidere possunt licitè adulterum, possint idipsum licitè mandare alteri, non ita liquet; pro negativa citat Clar. *n. 51.* Rolandum, *l. 2. cons. 24. n. 29.* & alios; affirmativam servari in practica probat ex facti contingentia Curia Neapol. teste de Afflic. & aliis; posse idipsum mandari proprio filio dicit citatis Bald *in cit. l. Grachus. n. 5.* & aliis, qui dicunt esse frequentissimam & communem D. D.

3. Resp. Tertio: Quamvis hæc omnia procedant in foro contentioso, in foro tamen conscientia non licere patri aut marito, neque filiam, neque uxorem, neque adulterum in adulterio deprehensos occidere, & peccare illos occidendo mortaliter, docent cum Gl. *in c. inter hæc. 33. q. 3.* Didacus *in Lib. 4. Decret. fol. 142. n. 8.* Villalob. *in collect. comm. opinion. Lit. M. num. 23.* Monchiaca *L. 1. de restib. p. 1. post n. 7. vers. unde data,* quam tamen opinionem sibi nunquam placuisse, ait Clar. *l. c. n. 50. ed.* quòd impium esse censet, dicere apud se, (puta Legistas) vigere aliquem legem, quæ peccatum mortale committi permittat. Verùm rectius responderetur sub distinctione, nimirum leges civiles iniquas esse, si permitterent approbative patrem aut matrem occidere adulterum, uti constat ex *c. inter hæc. 33. q. 2.* & D. August. *L. 2. de adulter. conjugum. c. 15.* D. Thom. *in 4. dist. 37.* & ita docent Sotus *L. 5. q. 1. a. 3.* Covar. *in epitome. c. 7. §. 7. n. 12.* Tholof. *L. 36. Syntag. c. 6.* Mol. *de 7. ir. 3. d. 7. Less. L. 2. c. 9. du. 5.* Laym. *L. 3. ir. 3. p. 3. c. 2. n. 4.* ex ea ratione, quòd non condemnatum à privato occidi, nulla æquitas patitur; juxta *L. 2. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* Ad hæc charitati christiana maxime adversetur subito occidere hominem tam imparatum & impœnitentem, adeoque leges approbativas talis homicidii non posse non esse iniquas, leges verò civiles iniquæ non sunt, dum id permittunt solùm negativè, quatenus nimirum in tali casu pœnam homicidæ non decernunt, neque actionem contra eum seu civilem seu criminalem recipiunt, idque ob circumstantiam injuriæ & justis doloris, quem in eo casu temperare difficillimum est, ut dicitur *L. si adulterium. §. Imperator. ff. ad leg. Juliam de adulter.* uti ob eandem rationem SS. Canones excommunicationis sententiam à patre & marito percutiente Clericum deprehensum in adulterio, juxta dicta paulò antè, remonent. Non tamen impediunt dictæ leges Civiles

negativè permittentes in eo casu interfectionem adulteri; quò minus ea sit mortaliter peccaminosa, si committatur non adempto sufficiente usu rationis ob iram & subitaneum furorem.

Quæst. 245. Num & quando licitum sit occidere Bannitum?

1. Resp. Primò: Supponendo posse Magistratus & Principes supremos in malefactores, non tantùm quos præsentem in sua potestate habent, mortis sententiam ferre & exequi, sed & in absentes, proscribendo eos publicè, vitamque eorum exponendo, ita ut cuius privato liceat illos impunè, etiam in foro conscientia occidere. Soto *L. 4. de iust. q. 1. n. 2.* Syl. Armil. Sa. *v. Bannitur. Beia. cas. reservat. p. 1. c. 41.* Laym. *l. c. c. 2. n. 2.* ex eadem ratione, quòd, cum reipublicæ interfit de malefactoribus & hostibus suis penam mortis sumere, hoc autem non possit reo aliò dilapso, poterit facultatem dare omnibus aliis illum ubicunque deprehensum occidendi, modò tamen ex parte Principis proscribentis serventur sequentia: Primò, ut de delicto capitali, quod hujusmodi proscriptionem mereatur, ei constet. Secundò, ut periculum grave ex malitia bannizandi imminet reipublicæ, v. g. sit perduellis, prædo, insidiator vitæ Principis, Veneticus, &c. Tertio: ut Ordinario procedendi modo contra præsentem reum executio fieri nequeat.

2. Resp. Secundò: Poterit itaque in hoc casu quilibet privatus uti illa facultate, & bannitum interficere. Ex parte verò privatorum volentium occidere bannifatum, ut licitè fiat occisio, requiritur: Primò, ut sententia banni per appellationem legitimè interpositam non sit suspensa, Laym. *l. c. Reiffenst. h. t. num. 68.* Clar. *L. 5. §. Homicidium. num. 64.* citatis pluribus aliis, qui testantur esse communem; qui etiam addit, non posse occidi bannitum currente tempore ad appellandum à sententia banni dato, quamvis subjungat, in sua provincia sublatam omnem appellationem in criminalibus causis. Secundò, ut occisio fiat præcisè ex zelo justitiæ, & ob bonum publicum, & non ex odio, passione privata, vel affectu vindictæ vel turpis lucri; iidem *ll. cit.* Tertio ut non fiat occisio extra territorium proscribentis; eum, sicut ipsi Magistratus, ita à foriote privatis illicitum est facere executionem extra territorium. ita Sylv. *v. Homicidium. 1. q. 3. n. 7.* ubi quòd, qui in alieno territorio clam aut per insidias proscripsum occideret, tanquam Homicidæ puniri posset, quod approbat Laym. *l. c. q. 2.* Armil. *v. bannitus. n. 1. in fine.* Sa. *v. eodem. n. 1.* Azor. *p. 3. L. 2. c. 2. q. 3.* Tolet. *L. 5. c. 6. num. 18.* Laym. *l. c. Reiffenst. l. c. cum communiore TT. contra Clarum. L. 5. v. Homicidium. n. 66.* Facin. *pr. crim. p. 3. q. 10. n. 213.* qui tamen id, quòd per sententiam justam bannizatus ubique etiam extra territorium proscribentis occidi possit, limitat, ut solùm locum habeat in præscripto ob Crimen Læsa Majestatis. Quartò, ut persona bannizata non sit speciali jure conjuncta privato volenti illum occidere, v. g. pater, filius, conjux, vel etiam, ut Laym. qui proscripsum alere tenentur, hos enim occidere semper illicitum est, nisi actuales hostes reipublicæ existant, seu veniant ad delendam patriam. Arg. *L. minimè. ff. de relig. & sump. fun.* Clar. *n. 59.* Qui etiam ait, censere extra hunc casum actualis & veræ hostilitatis erga rempublicam filio occidenti patrem bannizatum amputandum

dam caput; cum pater, etsi bannizatus, non desinat esse pater, aut amittat jura naturalia. Porro notandum hic, observatis etiam prædictis omnibus non nisi ex gravissima causa (qualis v. g. esset, si ex vita malefactoris immineret quotidianum reipublicæ periculum) licere Magistratui ita bannizare aliquem, ut monet Mol. de I. & I. tract. 2. d. 7. eò quòd ex bannizatione & licita proscriptione occisione plerumque sequantur magna incommoda, inter quæ est improvise occisi banniti interitus, quòd ad corpus & animam.

Quæst. 246. Num liceat bannito se defendere contra aggressorem suum?

R Esp. Juxta probabiliorum & communiorum, quam contra Clarum l. c. num. 7. aliòsque ab eo citatos defendunt Azor. Tom. 3. L. 2. c. 1. q. 11. Sa. v. bannitus. num. 4. Laym. l. c. q. 1. vers. sed nunquid. non licere proscriptione se defendere occidendo vel mutilando, si opus est, aggressorem suum; quia is est veluti minister publicæ justitiæ habens jus & potestatem occidendi proscriptionem, adeoque sicut reo publico non licet vitæ salvandæ gratia occidere lictores ducentes illum ad carcerem vel supplicium, ita nec bannito aggressorem suum. Laym. l. c.

Quæst. 247. Num licitum bannitum occidere proditorie?

R Esp. In hoc non convenite AA. etsi enim id negent multi apud Clar. l. c. num. 61. ipse tamen probabilius tenet affirmativam, citatis pro eo Dec. in c. quæ in Ecclesiarum. de constit. n. 14. in fin. Bossio in tit. banniti quid amittant. num. 1. ubi etiam, quòd liceat eos occidi facere per pecuniam, & sic per assassinium. Addit tamen Clar. quòd, quid quid sit de jure, servari apud se, bannitus, qui potest impunè interfici, possit etiam proditorie occidi, nisi tamen expressè dedisset illi fidem de non occidendo, in quo casu ait, se occisorem banniti facturum decapitari, eò quòd etiam hosti servanda fides.

Quæst. 248. Num valeat alicubi inductum statutum impunè offendendi & occidendi bannitos?

R Esp. Quamvis juxta dispositionem juris communis bannitus impunè occidi non possit, ut cum Bart. in L. ut vim. ff. de I. & I. n. 1. & communi DD. Clar. l. c. n. 2. dicens, hanc conclusionem maximam habere æquitatem, ne homines ea de causa inter se ipsos sæviant, fieri tamen posse speciale tale statutum interveniente saltem Autoritate Magistratûs alicujus supremi, & stante tali statuto occidentem fore liberum ab omni pœna homicidii, videtur esse extra dubium, & sequi ex dictis; si enim id fieri potest vi sententiæ hic & nunc latæ à supremo Principe, cur non vi talis statuti stabiliter inducti pro communi quiete, ut Bart. in L. 2. c. quando liceat unicuique sine jud. vind. n. 1. & valere tale statutum, docent Bart. in L. omnes populi. de I. & I. Alex. L. 2. conf. 2. circa finem. dicens communem, pluresque alii apud Clar. n. 53. quin & valere, etiam si per illud constituatur præmium occidenti bannitum, docent Alex. in L. si plagii. ff. de V. O. Dec. in c. quæ in Ecclesiarum. de constit. num. 14. Clar. l. c. Cum inconveniens non sit, ut ad ea, quæ licitè permittuntur, homines etiam propositis pecuniis alliciantur, modò tamen bannitus quis fuerit ob grave delictum; cum aliàs,

si ex levi causa bannitus esset, v. g. pro debito pecuniario, statutum non valeret. Clar. l. c. cum Dec. l. c. dicente esse communem. Porro si statutum tale simpliciter diceret, licere bannitum impunè occidi, licere quoque eundem impunè occidi, tradunt Alciat. de verbor. significat. L. 2. fol. 44. vers. præterea. Jason. in L. in suis. ff. de liber. & posthu. n. 26. Clar. l. c. & alii testantes de communi, & quòd sic consuetudo observet.

Quæst. 249. Num occidens, quem ignorabat bannitum, gaudeat beneficio talis statuti?

R Esp. In tantum gaudere illum isto beneficio, ut evadat pœnam Homicidii, non tamen lucrari præmium seu pecuniam statutam aliàs occidenti bannitum. Bart. in L. 3. §. utrum. ff. ad Sylla. & in L. genero. ff. de his, qui not. infam. Clarus l. c. n. 67.

Quæst. 250. An & qualiter licitum sit occidere?

R Esp. Indubitatum & certum est, licere omnibus in bello sive defensivo sive offensivo iusto occidere hostes nocentes, quia hoc ipso, quòd ad vindictam justam & satisfactionem injuriæ, rerum & damnorum reparationem licitè bella assumanturque, licita sunt media ad illa gerenda, obtinendumque finem illorum; inter quæ est occisio hostium. Dixitamen: *Nocentes*; id est, reos injuriarum, arma sumentes: nam innocentes, quales sunt jure naturæ pueri, mulieres (intellige nisi & ipsæ pugnent v. g. in defensione urbis hostilis contra justos oppugnatores) item Jure Ecclesiastico Clerici religiosi (nisi & ipsi pugnent & arma gerant) item homines simplices & rustici, v. g. qui in caltris laborare, necessaria exercitui advehere debent, per se & ex intentione etiam in bello iusto occidere non licet, unde stultas & semper iniquas esse belli ducum civitates obsidentium minas, quòd, nisi certo tempore civitas tradatur, velint trucidare sine discrimine omnes, etiam infantes in utero materno existentes, ait Reiffenst. h. r. n. 73. dico etiam; ex intentione, siquidem per accidens & præter intentionem etiam innocentes cum nocentibus occidere licet, dum v. g. bellum geri aut victori obtineri nequit, nisi sic fiat. Atque ita contingere videmus in eversione arcium & expugnatione civitatum. Sed neque nocentes, postquam bello devicti & capti, interficere licet, nisi trucidatio illorum ad criminis atrocis vindictam, vel ad acquirendam firmandamve reipublicæ pacem, quietem ac securitatem, necessarium aut valde conducens videatur, cum vel sic trucidatio illorum sit medium ad finem justum & licitum; ita cum Mol. de I. & I. tr. 2. d. 7. Reiffenst. n. 74. & alii, monentes tamen parcendum multitudini, si non de rigore justitiæ, quo occidi possent omnes, saltem ex clementia & lenitate Christianæ Charitatis. Arg. c. 1. dist. 44.

Quæst. 251. Qualiter contrahatur irregularitas ex Homicidio commisso in bello?

1. R Esp. Primò: Qui in bello sive defensivo sive offensivo patenter injusto militant, pugnando, adhortando ad pugnam, vel qualecunque auxilium præstantes, omnes sive Clerici sive Laici fiunt per hoc irregulares, si vel unus occisus sit, aut mutilatus, etsi ipsi propriis manibus non occidant aut mutilent. Sylv. v. Homicidium. 3. q. 6. dicto 1. Covar.

Covar. in Clem. unic. h. t. p. 3. §. 3. num. 2. in fine. Nav. c. 27. n. 216. & 224. Suar. de cens. d. 47. §. 5. n. 1. Castrop. tr. 39. d. 6. p. 14. §. 5. num. 1. Laym. L. 3. tr. 3. p. 3. c. 8. n. 2. Pirh. h. t. n. 114. cum communi. Arg. c. sicut dignum. §. fin. h. t. c. quod in dubiis. de pœnis. juncta Gl. v. incitant. ex ea ratione, quod, quando plures communi auxilio vel consilio concurrunt ad Homicidium, aliudve delictum vel damnum, censentur una causa moralis. Sylv. Laym. Pirh. & DD. in c. significasti. Limitatur ex dictis responsis, excipiendo assistentes in bello injusto ad componendam pacem, vel ad adjuvandum in spiritualibus. Sylv. Pirh. ll. cit. & alii jam citati. Item ut nullus saltem laicus contrahat irregularitatem, si nullus occidat aut mutilet (de clerico autem in hoc casu est dubium, censetque Pirh. probabiliter etiam Clericum assistentem & adhortantem in bello injusto, ubi nullus occidit, fieri irregularem, contrarium sentientibus aliis. Arg. c. Clerici. 23. q. 8.) quia ad eam contrahendam non sufficit intentio occidendi vel mutilandi sine actu externo. Suar. l. c. num. 3. De cætero est hæc irregularitas non ex defectu perfectæ lenitatis, sed revera ex Homicidio injusto.

2. Resp. Secundò: Militantes aut etiam assistentes in bello defensivo iusto etiam Clerici non fiunt irregulares, dum occidunt vel mutilant, etiam propriâ manu ob necessariam defensionem vitæ propriæ; si enim id liceat in privata rixa, cur non in quovis prælio publico? Suar. l. c. n. 1. modò tamen, prout ipsum limitat cum Avila. de censuris. p. 7. d. 7. §. 3. n. 1. concl. 1. Pirh. h. t. n. 115. non processerint ad bellum iustum, non ad pugnandum propriâ manu, sed ob aliam causam v. g. ad adhortandum milites, vel ad ministrandum spiritualia. Idem est de occidentibus & mutilantibus ob defensionem Ecclesiæ vel patriæ; cum bonum commune præferendum sit bono privato propriæ vitæ. Suar. l. c. n. 2. idque etiam dicendum de Clericis, ita ut etiam vigilas agere debeant, modò tamen desint laici, qui patriam defendere possint. Abb. in c. petitio h. t. n. 2. Pirh. h. t. n. 116. & plures apud Fagn. in cit. c. n. 2. & seq. Extra quem casum necessitatis Clerici etiam ad defendendam patriam, etsi adhortari possint ad pugnandum, juxta c. igitur. c. omnes. c. hoc talis. c. ut prædam. 23. q. ult. tamen in propria persona pugnare non possunt. Pirh. l. c. juxta c. ex multa. §. fin. de Voto. & Gl. in cit. c. petitio. v. mordet.

3. Resp. Tertio: Quicumque in bello iusto defensivo per se sive proprio facto aliquem occidit vel mutilat, sit per hoc irregularis absque peccato, si laicus est, Abb. in c. petitio. h. t. n. 1. Laym. l. c. num. 1. Castrop. l. c. Pirh. h. t. n. 117. Reiffenst. num. 117. Arg. cit. c. petitio. & c. si quis. dist. 51. juncta Gl. ibid. v. mutilaverit. orta hac irregularitate ex defectu perfectæ lenitatis, à qua cædes & mutilatio non excusat, quod sit iusta, ut Nav. cit. c. 27. n. 213. Suar. de cens. d. 47. §. 6. n. 6. Pirh. l. c. non tamen ad eam sufficit, quod sanguinem fuderit vulnerando solum. Arg. cit. c. petitio. cum irregulariter nulla contrahatur, quæ in jure non sit expressa. c. is, qui. de Sent. excomm. in 6. E contra nec Clerici, nec laici fiunt irregulares, si moraliter vel saltem sufficienter certi se in bello defensivo iusto nullum occidisse aut mutilasse per se seu propriis manibus, etiam si sciant, se plures vulnerasse non lethaliter, pluresque ab aliis occisos esse. Abb. in c. placuit. de Cler. percuss. Nav. l. c. num. 115. Covar. in Clem. furiosus. p. 2. §. 3. num. 2. Suar.

l. c. §. 6. n. 5. Mol. de l. & l. tr. 2. d. 110. Castrop. tr. 29. d. 6. p. 14. §. 5. num. 2. Laym. l. c. n. 2. Pirh. l. c. Arg. ducto à sensu contrario. Dum ibi Sacerdoti pugnanti in bello, in quo ipse percussit & vulneraverat aliquos per se, aliique multi occisi per alios, mandatur ob irregularitatem à Sacrificio abstinere, tunc tantum, quando haberet remorsum conscientiæ, quod ab eo revera aliquis fuisset occisus. Unde, si sufficienter ei constat, nullum à se occisum, non tenetur ob irregularitatem abstinere; quod, si tamen sive Clericus, sive Laicus rationabiliter dubitaret, num propriâ manu aliquem occidisset, ille deberet se habere irregularem. Arg. c. petitio. Cum ibi dicitur, quod consultus sit, in hujusmodi dubio abstinere, quam celebrare, & si dubium sit leve vel potius scrupulus, meliorem esse conditionem possidentis jus suscipiendi & administrandi ordines cum Engels. h. t. num. 58. astruit Reiffenst. h. t. num. 122. De cætero prædictis non obstat, quod Clericis absolutè prohibitum sit in bello defensivo pugnare, ut cum Gl. in c. petitio. v. remordet. Castrop. l. c. num. 3. AA. ferè omnes, Arg. c. Clerici. c. quicumque. 23. q. 8. Adeoque hi saltem videantur fieri irregulares: nam ex tali prohibitione non rectè inferitur irregularitas, si contra eam agant, quia per hoc in jure ea non exprimitur. Neque quod dictum est, nimirum quod, dum plures concurrunt ad occidendum, licet unus tantum occidat, omnes fiant irregulares, quia omnes censentur una causa moralis Homicidii. Nam locum habet in bello injusto non tamen in bello iusto; quia pugnantes dant operam licitæ rei. Ad hæc Jus Canonicum signatè noluit, ut pugnantes in bello iusto fierent irregulares, nisi propriâ manu occiderent, ne aliàs nimis multi facti inhabiles ad Ordines ac ita retraherentur à bellis iustis. ut Pirh. l. c. cum Avil. d. 6. §. 3. num. 2. resp. ad 1. Atque ex his deducuntur sequentia, quod bellidux incitans milites ad fortiter pugnandum, non fiat irregularis, quia non provocat illos directè & determinatè ad occidendum. Idem est de Clerico adhortante milites etiam in ipso conflictu ad strenuè pugnandum in bello iusto, nisi incitet ad hunc vel illum in particulari occidendum. Pirh. l. c. cum Covar. l. c. §. 3. n. 2. & Suar. l. c. n. 8. item ille, qui militibus dat arma ad bellum iustum; quia datio hæc est actio iusta & indifferens, nisi forte dentur arma in actuali conflictu ad occidendum. Pirh. num. 118. cum Suar. l. c. §. 6. n. 6.

Quæst. 252. An & qualem potestatem seu jus habeat ad occidendum subditum respublica seu Magistratus?

Resp. Non habet jus pro arbitrio suo occidendi, aut periculo mortis exponendi subditos; cum non competat ei Dominium in corpora subditorum, neque magis licet Magistratui exercere tyrannidem in homines liberos, quam Dominus in servos suos sævire, exercendo in eos potestatem vitæ ac necis, juxta quod jure veteri correcto, statuitur L. 1. ff. de his, qui sunt sui vel alien. jur. Habet tamen jus subditos exponendi mortis periculo, quatenus ratio ostendit, id necessarium ad rempublicam tuendam. Sic quoque jus habet puniendi eos morte ob delicta (non quidem merè civilia, ut rectè Laym. L. 3. tr. 3. c. 2. num. 2.) sed verè talia, quæ coram Deo id mereantur, & reipublicæ bono sic exigente. D. Tho. 2. 2. q. 64. a. 2. cum omnino communi, ex ea etiam ratione, quod docente ratione naturali ad conservandam huma-

humanam societatem necessarium sit, ut communitas vel Princeps tanquam caput illius habeat jus puniendi singulos de communitate, etiam, si opus est morte, quemadmodum homo, etsi non sit Dominus membrorum suorum, sed custos, si tamen illorum aliquid corpori nocivum esse incipiat, potest illud tollere, & abscindere, permittente Deo Domino illorum, ne totum corpus pereat.

Quest. 253. An & qui cooperantes ad mortem justam rei incurrant irregularitatem?

Resp. Omnes, qui publica Authoritate aut vi illius iuste cooperantur, etsi non ita propinque ad prolationem sententiae sanguinis, sive mortis, sive mutilationis, vel ad executionem illius, sunt irregulares, etsi enim delictum nullum per hoc committant, quia tamen tales effundendo sanguinem à perfecta lenitate Christi, quam is in Altari offert Deo Patri, representanda recedunt, merito arcentur per irregularitatem ab Ordinibus (qui omnes referuntur ad Eucharistiam seu Altaris Sacramentum) suscipiendis vel susceptis exercendis, & à representanda persona Christi. Unde & hæc irregularitas non est tam poena quam moralis inhabilitas ad ministerium Altaris, juxta *c. suscepimus. in fin. h. t. D. Tho. 2. 2. q. 40. a. 2. in corp. Nav. in man. c. 27. n. 205. in fine. Pirh. h. t. num. 94.* tales autem sunt Accusatores, Delatores, Judices, Assesores, Consultores, Advocati, Testes, Notarii, sententiam scribentes, dictantes, subscribentes, quorum singuli, quia plures continent quaestiones, de singulis in particulari agendum in seq.

Quest. 254. An & qualiter Accusator Criminis contrahat irregularitatem?

1. Resp. Primò: Sive Clericus, sive Laicus accusans vel denuncians aliquem coram Judice Laico criminaliter de delicto morte vel mutilatione digno directè, non ad privatum interesse, sed ad vindictam publicam, secutà morte vel mutilatione accusati, sit irregularis. Covar. in *Clem. unic. h. t. p. 2. §. 5. num. 1.* Suar. de *conf. d. 47. §. 2. num. 10.* Avil. de *conf. d. 5. §. 2. du. 10.* Pirh. *h. t. num. 101.* Quia, eam tunc Judex infligat poenam ad instantiam accusatoris, hic est causa mortis vel mutilationis reo illatae, non obstant, quòd accusator protestetur, se quidem petere, ut puniatur reus, sed citra mortem vel mutilationem; eam talis protestatio vana sit, nihilque operetur. Quippe contraria ipsi accusationi, per quam directè Judex inducitur ad poenam sanguinis infligendam; cum requisitus ab accusatore ex officio debeat secundum leges judicare & punire.

2. Resp. Secundo: Quòd si tamen Accusator, sive Clericus, sive Laicus non accusaret criminaliter, sed civiliter petendo præcisè injuriæ & damni sibi illati reparationem, etiam petendo, ut puniatur poenà pecuniaria sibi in dictam reparationem applicandà, non sit irregularis, etiamsi Judex deim infligat poenam mortis vel mutilationis, idque accusator Clericus prævideat; cum tunc mors illa sequatur per accidens & accusatori non imputetur. Covar. *l. c.* Suar. *l. c. num. 2.* Avil. *l. c. du. 9.* Mol. de *just. tr. 3. d. 8. n. 3.* Pirh. *num. 102.* Barb. in *c. Prælati. h. t. in 6.* & ibi DD. communiter. Arg. *cit. c. & c. postulasti. h. t. in 6.* idque, etiamsi Clericus capiat aut detineat (aut indicet, ubi capi possit) malefactorem deprehensum, eumque pro suo interesse Judici tradat. Covar. *l. c. num. 3.* Barb. *l. c. n. 4.* modò tamen expressè protestetur in ipso Judicio, se non petere vindictam criminis, sed solum in ordine ad justum suum interesse acculare, AA. iidem juxta *cit. c. Prælati.* Idque etiam coram Judice seculari, dum Accusator est Clericus, quia præmissa illa protestatione in accusatione civili non censetur cooperatio ad mortem, sed justa defensio & excitatio ad satisfactionem sibi præstandam. Omisà verò illà, accusans de crimine digno morte vel mutilatione indirectè censetur causa mortis, quæ tamen indirectè voluntas retractari censetur per illam protestationem. Suar. *l. c. Laym. l. c. c. 7. n. 5.* Quamvis autem *cit. c. 2. h. t. in 6.* solum fiat mentio de Clericis, quòd incurrant irregularitatem, si accusent non præmissa protestatione, idem tamen dicendum de Laicis. Covar. *l. c. num. 1.* Nav. *l. c. num. 213.* Suar. *cit. §. 2. n. 6.* Avil. *l. c. §. 2. du. 9. §. 6.* Pirh. *num. 108.* quia per hoc laicis non imponitur novum gravamen, sed potius tanquam remedium inventum ad irregularitatem evitandam offertur, est tamen quòd ad illam irregularitatem inter Laicos & Clericos distinctio, quòd hi, si omisà protestatione accusent, fiant irregulares, ex Homicidio illicito, quia illis prohibitum accusare in causa sanguinis sine protestatione. *c. postulasti. h. t. Gl. ibid. in fine.* Laici verò, etsi non præmittant omittendo protestationem, sunt irregulares ex defectu perfectæ lenitatis. Nav. Avil. Pirh. *l. c. cit.* Porro hæc protestatio expressa sufficit ad evitandam irregularitatem, etiamsi ficta sit, & Accusator in animo velit & optet, ut accusatus occidatur, ut Covar. *l. c. §. 5. n. 2.* Avil. *l. c. Laym. cit. c. 7. in fine.* Mol. *l. c. d. 8. num. 4.* Pirh. *n. 104.* contra Nav. *cit. c. 27. num. 226.* Diaz. in *pract. crim. c. 102. num. 15.* & alios citatos à Barb. in *c. 2. h. t. in 6. num. 9.* Ex ea ratione, quòd irregularitas, utpote inducta solum jure Ecclesiastico, non præcipiente, nec puniente directè actus internos, & quia actus ille internus non influit in Homicidium, utpote incognitus Judici, non incurritur irregularitas per actum illum internum, sicut & contra ea incurritur omissione illius externæ protestationis, licet accusator internè habeat voluntatem, ut non occidatur; quia canones externam protestationem requirunt, & retenta in mente voluntas nihil operatur. Et hæc, etiam in foro conscientie, ut Pirh. *num. 104.* cum Diaz. *l. c. n. 16.* Item sufficit dicta protestatio ad evitandam irregularitatem, etiamsi accusanti sit certum moraliter, judicem poenam mortis illaturum, modò non inducatur ad iniquam sententiam ferendam, v. g. dum accusator verum delictum deferret, quia tamen illud probare non posset, inducit falsos testes, qui accusatum convenirent. Pirh. *num. 105.* citans Suar. *cit. §. 2. num. 8.* Arg. *c. 2. h. t. in 6.* Item si Clerici civiliter accusent non solum de injuriis suæ personæ aut suæ Ecclesie allatis, sed etiam de illatis parentibus, fratribus, liberis, propinquis, aliisque ita conjunctis, ut damnum vel injuria in ipsum redundet Accusatorem. Nav. *l. c. n. 213.* Covar. *l. c. n. 1.* Laym. *l. c. n. 5.* Pirh. *cit. n. 105. in fine;* fieret tamen irregularis etiam factà illà protestatione, si apud Judicem secularè accusaret civiliter extraneum quempiam alium de illatis ei damnis, si accusato mors deim infligeretur. Arg. *c. 2. h. t. in 6.* Suar. *l. c. num. 11.* Covar. *l. c. num. 4.* Nav. *l. c. n. 204.* Pirh. *num. 109.* ex ea ratione; quòd defensio juris proprii maximè sit naturalis, ac ideo

specia-

specialiter à jure concessum, damnum sibi illatum prosequi in judicio per Accusationem, junctâ illâ dictâ protestatione, etsi id occasio Judici sit inferendi mortem vel mutilationem, quod ipsum non est extendendum ad causam extranei cujuscurque. Denique quamvis consultum sit, quin & praxi usque receptum, protestationem fieri statim sub initium unâ cum accusatione, sufficit tamen facta ante prolationem sententiæ, siquidem Voluntas, quam Clericus accusans omniâ protestatione habere censetur, ut accusatus occidatur, revocatus per protestationem postea factam ante sententiam, adeoque evitatur irregularitas, non secus, ac ea evitatur post revocationem Homicidii factam ante executionem illius, etsi hæc subsequatur. Suar. *l. c. num. 2.* Avil. *l. c. num. 9.* De cætero plures sunt casus, in quibus ad vitandam irregularitatem dicta protestatio non est necessaria, & primò quidem, dum accusatio est de crimine levi seu non merente mortem, dum nihilominus judex accusatum afficit morte vel mutilatione; quia inscitia vel malitia Judicis non debet nocere accusatori. Covar. *l. c. num. 3. not. 9.* Nav. *cit. num. 204.* Avil. *cit. num. 9.* Diaz. *pract. crim. c. 102. num. 13.* Pirh. *num. 10.* Arg. *c. postulasti. h. t.* Idem est, dum Judex accusatum de crimine levi condemnet ad mortem ob alia delicta; quia id accusanti per accidens est. Nav. Pirh. *ll. cit.* Secundò dum Clericus, sive Laicus, sive civiliter, sive criminaliter de crimine inducente pœnam sanguinis, etiam ita enormi, ut Clericus accusatus ob illud degradari possit, accusat in tribunali Inquisitionis vel apud quemcunque alium Ecclesiasticum Judicem; quia ille non potest procedere ad pœnam sanguinis, non obstantes, quòd is tradere eum possit Judici Sæculari, quia id per accidens est. Suar. *l. c. n. 18.* Diaz. *l. c. num. 14.* Barb. *in c. 2. h. t. in 6. num. 10.* Pirh. *cit. num. 110.* Reiffenst. *num. 84.* Tertiò: dum accusatio vel denunciatio fit, sive à Laico, sive à Clerico de injuria non jam illata per crimen, sed inferenda, vel de crimine pendente in futurum, quod aliter impediri nequit, quam per denunciationem ad Judicem, vel accusationem; Idque, sive fiat ad proprium, sive alienum aut reipublicæ damnum avertendum. Covar. Suar. *l. c. num. 11.* Pirh. *cit. num. 109.* Mol. *l. c. d. 8. n. 9.* Reiffenst. *num. 86.* Arg. *c. accusasti. de accus.* Si quidem SS. Canones non imponunt irregularitatem propter opus, ad quod lege naturali vel præcepto divinæ Charitatis quis obligatur, quale est accusare malefactorem, dum id necessarium ad defendendum proximum innocentem, avertendumque ab eo aut republica malum; neque etiam alibi in jure statutum, protestationem dictam necessariam, ad vitandam in hoc casu ad irregularitatem.

3. Resp. Tertiò: Sed neque Clericus accusator, ut paulò suprâ insinuatum, sit irregularis propter mortem accusato illatam per Judicem, etiam si ipse reum capiat, detineat, & judici tradat ad puniendum, præmissâ protestatione. Covar. *l. c. num. 3. in fine.* Diaz. *l. c. num. 17.* Pirh. *n. 106.* Unde jam etiam locus ab accusatore indicari potest, ubi malefactor, v. g. fur, lateat, ut comprehendatur, ex intentione, ut reparat damnum illatum, ad hunc enim finem, cum licita sit accusatio, licita quoque sunt media ad illum. Pirh. *l. c. cum Nav. L. 5. conf. 9. b. t.* Idque, sive fur sit fugitivus, ut Nav. cum tunc captura vel indicatio illius sit medium necessarium ad reparationem damni, sive non sit fugitivus, quia in eo casu captura

& detentio, etsi non sit medium necessarium, est tamen medium utile, ad damnum reparandum.

Quæst. 255. An & quando testes in causa sanguinis fiant irregulares?

Resp. Quicumque, sive Clerici, sive Laici in causa, in qua agitur directè de pœna mortis vel mutilationis, liberè ferunt testimonium contra accusatum secutâ morte vel mutilatione, etiam si protestentur, se non ferre testimonium ad condemnandum reum, sunt irregulares; quia testis deponendo de crimine movet judicem ad ferendam sententiam, quæ maximè fundatur super illius atestatione, adeoque est causa moralis, & quidem potissima mortis, utpote cui nemo in hoc judicio sanguinis plus cooperatur, quam testis, per quem veritas elicitur. Et ita cum communi docent Covar. *l. c. §. 5. n. 5. in fine.* Nav. *l. c. n. 212.* Diaz. *in pract. crim. c. 102. n. 21.* Suar. *cit. d. 47. f. 3. n. 2.* Mol. *tract. 3. d. 47. n. 10.* Pirh. *h. t. n. 111.* Castrop. *tract. 29. d. 6. p. 3. per cor.* Dicitur primò: *In causa, in qua directè agitur ad pœnam mortis.* Secus est, seu testis non sit irregularis, dum agitur de crimine capitali civiliter ad interelle alicujus. Pirh. *l. c.* Dicitur secundò: *Liberè ferunt testimonium:* Si enim testis citatus detrectans venire & testari ad hoc cogatur præcepto superioris vel aliâ viâ à Judice (qui id in aliquibus casibus potest) non sit irregularis, etsi per accidens ad mortem reus condemnetur, cum id testi nequeat ad culpam ullam imputari; quia rei licitè operam dedit, & per se non sit cooperatus ad illum effectum, Suar. *l. c.* Castrop. *l. c. n. 3.* Pirh. *l. c. vers. non obstat etiam.* Reiffenst. *h. t. n. 105.* monens non esse similiter argumentandum de judice & aliis officialibus justitiæ, quia officium liberè assumpserunt, licet liberè assumptum postea necessario administrarent, & condemnent ad mortem. Dicitur tertiò: *Testantur contra accusatum.* Quia, si etiam Clericus in favorem rei, ad probandam ejus innocentiam, testetur, non sit irregularis; cum id ei prohibitum non sit. Diaz. *l. c. num. 22.* Pirh. *cit. n. 111. in fine.* Dicitur quartò: *Etiamsi protestentur:* quia cum testis, non propriam, sed alienam causam prosequatur, nihil prodest ei ad vitandam irregularitatem, nec ideo desinit testimonio suo influere in sententiam mortis. Porro illud hic notandum, quòd si Clerici in causa criminali agerent testes contra accusatum coram Judice Laico, fiant non tantum irregulares, sed & peccent, quia in causa criminali coram Judice Sæculari agere testem contra reum Clericis absolutè prohibitum; unde etiam ad hujusmodi testimonium coram Judice Laico ferendum nunquam cogi possunt.

Quæst. 256. An & quando Advocatus in causa sanguinis fiat irregularis?

Resp. Primò: Advocatus in causa sanguinis præbens patrocinium accusatori contra reum, isque condemnetur ad mortem vel pœnam mutilationis, sit irregularis, etiam si fuerit protestatus, quia Advocatus valde efficaciter docendo & movendo suis argumentis judicem ad ferendam sententiam, adeoque protestatio illius facta contraria non impedit, quòd minus sit particeps Homicidii; ita Covar. *l. c. n. 5.* Diaz. *l. c. n. 18.* Suar. *l. c. f. 4. n. 3.* Pirh. *num. 112.* Castrop. *l. c. n. 5.* dicens esse sententiam omnium, si tamen mors aut mutilatio actu non sequatur, uti Judex, ita multò minus Advocatus sit irregularis, cum irregularitas ex defectu lenitatis incur-

ineuratur nunquam, nisi ex actuali Homicidio vel mutilatione. Suar. l. c. n. 4.

2. Resp. Secundo: Advocatus impendens patrocinium reo, dum is nihilominus condemnatur ad mortem vel mutilationem, non fit irregularis, sive fit Clericus, sive Laicus; quia ex ejus patrocinio non sequitur mors, imò citius secutur, si reus illà defensione caruisset; nisi tamen Advocati imperitiã vel negligentia reus condemnatus fuisset. ut Suar. l. c. n. 6. Diaz. num. 20. Pirh. l. c.

3. Resp. Tertio: Si Actor seu Accusator injustè seu falso accusavit, & hinc reo absoluto Accusator Pœnalitionis puniatur, Advocatus Accusatoris fit irregularis; quia eum in tali periculo mortis constituit; cum nisi Advocatus causam Accusatoris suscepisset, hic ausus non fuisset accusare; nisi tamen Advocatus bonã fide existimasset, causam Accusatoris esse justam; siquidem ignorantia invincibilis sicut excusat à delicto, sic ab irregularitate, utpote quæ in casu injustæ accusationis non oritur ex defectu lenitatis, sed ex delicto Homicidii, saltem indirectè voliti, Suar. Pirh. ll. cit. E contra, si accusator ob injustam accusationem puniatur pœnalitionis, Advocatus rei non fit irregularis, si tantum reum defendit, ostendendo delictum ei objectum non esse probatum, quia tunc ad pœnam illam talionis non concurrat, sicut concurreret ostendendo directè, Accusatorem esse calumniatum. Covar. l. c. n. 5. Suar. cit. s. 4. n. 7. & 8. Pirh. cit. n. 112. in fine.

Quest. 257. An & qualiter Notarii alique; qui sententiam sanguinis scribunt, subscribunt, subsignant, legunt, publicant, item executores sententiæ & justitiæ ministri sunt irregulares?

Resp. Omnes illos, secutã morte vel mutilatione, esse irregulares ex defectu lenitatis; cum omnes illi propinquè & notabiliter concurrant ad mortem, & inter eos sunt licitores, qui reum torquent ad eliciendam veritatem, satellites, qui reum custodiæ causã comitantur ad supplicium, & ita tenent Nav. l. c. n. 217. Sylv. v. Homicidium. 3. q. 2. n. 3. Avil. de cens. d. 5. s. 2. du. 1. Suar. l. c. s. 4. n. 1. Covar. l. c. s. 5. du. 1. Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 7. n. 1. & DD. in c. Sententiam, ne Clerici vel Monachi. Secus est de iis, quorum cooperatio magis remota est, v.g. opificum, qui furcam, scalam, funes confecerunt. Laym. l. c. n. 2. Castrop. l. c. p. 14. s. 4. cum Gl. in c. de cætero. h. r. v. causam. Mol. trakt. 3. d. 74. num. 2. qui tamen uti & Laym. cum aliis censent, satis propinquè concurrere, etsi privata Autoritate id faciant, & hinc irregulares esse, qui scalam applicant, ad suspendendum furem, ligna ad comburendum reum comportant, & magis si rogam construant. De cætero irregulares non esse privatos illos, aut etiam confessorium, qui equum, cui reus insidet, incitant, aut reum movent ad procedendum, ut viã breviori ducatur, ut scalam ascendant, manus ligandas præbeat, ministro justitiæ se accommodet, etsi per hæc mors acceleretur, altrunt Castrop. Laym. Molin. & alii. Eò quòd hæc levia sint & quasi pro nihilo reputentur, verisimileque non sit, Ecclesiam in his casibus voluisse irregularitatem inducere, quamvis tamen pro majore cautela Suar. l. c. n. 10. moneat Clericos & Religiosos reo in ultimo supplicio pro cura animæ assistentes, ut caveant, ne verbo aut factò aliquo accelerent seu promoveant mortem aut mutilationem, aut etiam

R. P. Lenz. Jur. Can. Lib. V.

iplos Ministros Justitiæ, ut veniant, ac properent exequi, etsi id faciant ex pia causã, quia sciunt reum jam bene dispositum.

Quest. 258. Num Clerici interessendo ultimo supplicio rei illud purè spectandi gratiã fiant irregulares aut peccent?

1. Resp. Primò: Nec Laici, nec Clerici, modò præsentiam suam non exhibeant autoritativè, & hac ratione suo modo cooperentur, per hoc incurrit irregularitatem; quia nullã ratione, nequidem remotè, cooperantur ad mortem. Gonz. ad c. Sententiam, ne Clerici vel Monachi, num. 1. Castrop. l. c. s. 4. n. 2. Nav. l. c. n. 214. Laym. cit. num. 2. Pirh. h. r. num. 113. & alii cum communi, contra paucos alios in cit. c. Sententiam. Quod tamen cap. dum irregulares dicit, intelligendum esse de autoritativa eorum præsentia, executioni sententiæ aliquo modo cooperante, ait Gonzal. l. c.

2. Resp. Secundo: Etsi non deceat Clericos, saltem Sacerdotes & in Sacris Ordinibus constitutos, immixtos reliquæ turbæ spectare ultima supplicia reorum curiositatis gratiã, & hinc ad summum peccent venialiter, ut Suar. cit. s. 4. in fine. Castrop. l. c. sunt tamen, qui eos ne venialiter quidem peccare censeant, si aliquid causæ rationalis adsit, præsertim si ita se collocent, ut non multum notentur à turba, vel si à longè ex domo aliqua prospiciant, ita Reiffenst. h. r. n. 114.

Quest. 259. An & quando Judices, Assessores, Consultores similesque ferendo aut proferendo sententiam mortis aut mutilationis incurrant irregularitatem?

1. Resp. Primò: Incurrit per hoc eam omnis Judex, sive Clericus, sive Sæcularis, & quicumque cum eo concurrat ad sententiam illam concipiendam proferendamque, ex ea ratione, quòd licet si omnes nullum committant delictum, quia tamen sanguinem alienum fundunt, vel ad fundendum concurrunt, carent perfectã mansuetudine & lenitate Christiana, reputantur ab Ecclesia inhabiles ad Altaris Ministeria, juxta dicta suprã; ita Arg. c. 1. dist. 51. Can. sepe. & seq. 23. q. 8. c. ex literis. de excess. Pralat. c. Clerici, c. Sententia, ne Clerici vel Monachi, est communis & certa, quæ tamen multas patitur exceptiones. Hinc

2. Resp. Secundo: Irregularitatem non incurrit primò: Summus Pontifex, utpote illius solo jure humano, supra quod est Papa, inductæ incapax, adeò, ut ab ea ante Pontificatum contracta evectus ad illum per ipsam evectioem liberetur. Majol. de irregular. L. 2. c. 4. in princ. Reiffenst. num. 92. Arg. c. licet vitanda. de elect. c. ubi periculum. eod. in 6. Secundo: Judæi, Saraceni, aliique infideles, utpote Ecclesiæ legibus & pœnis non subjecti, ita ut, si talis ad fidem convertat, nulli effectui irregularitatis sit obnoxius, & si ipse prius fuisset judex, & sententiam mortis tulisset, aut ipse etiam justè vel injustè occidisset aliquem. Suar. de cens. d. 40. s. 7. num. 3. Tertio: Inquisitores Hæreticæ pravitatis, eorumque Assessores, Consultores, Commissarii, Officiales, utpote à Paulo IV. & Pio V. hoc privilegio præmuniti, ut irregularitatem non incurrant, dum Hæresis reos ad pœnas jure statutas, etiam mortis, condemnant, ut Castrop. tr. 29. d. 6. p. 14. s. 1. citans Pegna. Director. Inquisit. p. 2. comment. 20. Henriq. L. 14. de irregular. c. 12. n. 5. Avil. de cens. p. 7. d. 5. s. 2. du. 2.

T 2

du. 2. Et licet ipsi sententiam mortis à se conce-
ptam & latam exequi nequeant, instare tamen pos-
sunt pro executione illius, si Judices Sæculares,
quibus extraditi rei, negligentes fuerint. Castrop.
l. c. in fine. citatis Medina *L. 1. sum. c. 11. §. 10.*
Tabien. *v. irregularitas. p. 2. §. 13.* Henriq. Avil.
ubi ante. uti idem tradit Laym. *l. c. n. 3.* Quartò:
idem est de aliis Prælati & Judicibus Ecclesiasticis,
qui Jurisdictionem temporalem habent, ita ut hi
citra irregularitatem Clericos reos de crimine di-
gno morte à se convictos & declaratos, hoc enim
(non tamen prolatà in eos sententiâ Inquisitoribus
solis competit, qui præter solam executionem sen-
tentia à se lata possunt cetera. Castrop. *l. c.* Reif-
fent. *num. 95.*) priùs à se degradatos tradunt Cu-
ria Sæculari, prolatà ab eadem in eos sententiâ,
morte vel mutilatione afficiuntur; non enim Judex
Ecclesiasticus, dum ipse sententiam non tulit, tra-
dendo reum potestati sæculari ab ea condemnan-
dum & puniendum directè causat aut influit in pœ-
nam mortis; quia non dat Judici Sæculari jurisdi-
ctionem in illum, nec dictat sententiam sanguinis,
sed per se solum declarat delictum, & degradando
privat privilegio clericali, excluditque à foro seu
jurisdictione sua, adeoque solum per accidens con-
currit ad mortem, tanquam removens prohibens
aliàs procedere Judicem Laicum ad proferendam
exequendamque sententiam mortis. Castrop. *l. c.*
Pirh. *num. 99.* Ad evitandam tamen irregulari-
tatem, ex tali degradatione & traditione aliàs ori-
turam Judici Ecclesiastico, debet is apud Judicem
Sæcularem intercedere, ut hic velit moderari sen-
tentiam & misericorditer cum reo agere, juxta *c.*
Novimus. de P. S. Quà tamen intercessione non
intendit Judex Ecclesiasticus impedire senten-
tiam mortis, sed tantum significare, se ex parte
sua illam non procurare, unde nec iniqua, nec
ficta est illa intercessio, ut Pirh. *num. 100.* Atque
ita hæc intercessione interposita evitari irregulari-
tatem, communiter DD. Covar. *l. c. §. 5. num. 6.*
Suar. *cit. d. 47. f. 1. num. 11.* Avil. *de censur. p. 7.*
d. 5. f. 2. du. 2. Bonac. *d. 7. q. 4. p. 1. n. 3.* Sayr.
L. 6. Thesau. c. 16. num. 4. & alii, quos citat &
sequitur Castrop. *l. c.* Hinc, quamvis ea inter-
cessio prætermittenda non sit, ob majorem etiam
securitatem ad declinandum periculum incurrendæ
irregularitatis, & quia jus commune eam præci-
pit, & consuetudo approbat, fortè tamen aliàs in
rigore eam absolute non fore necessariam, asserit
Pirh. *l. c.* citans Suar. *l. c. n. 12. §. n. 13.* Illam
tamen nullatenus necessariam Inquisitoribus, cum
illis tantam prohibita censetur mortis & mutila-
tionis executio, non tamen illius sententia ex Bul-
la quadam Pauli IV. *de anno 1557. 29. Aprilis.* as-
serit Castrop. *l. c.* Sed neque istiusmodi Principes
Ecclesiastici irregularitatem incurrunt, dum aliis
Jurisdictionem criminalem & causas omnes sangui-
nis committunt vel delegant, non tantum in genere
constituendo unum vel plures Judices sanguinis,
mandandoque, ut casu emergente malefactores pœ-
nis à jure statutis (ut solum fieri posse ab iis citra
irregularitatem, vult Gl. *in c. 3. ne Clerici seu Mo-
nachis, vel Episcopus*) vel etiam conferendo alicui
officium, cui jurisdictio ordinaria cognoscendi
omnes causas sanguinis & puniendi pro merito ma-
lefactores, annexa est, sed etiam probabiliter in
specie, committendo vel delegando alicui, ut cri-
men alicujus in specie examinet, dijudicet, ac puni-
at juxta præscriptum juris. Avil. *cit. f. 2. du. 4.*
Mol. *de l. 1. d. 74. n. 9.* Laym. *l. c. n. 4.* Castrop.

l. c. num. 3. Pirh. *num. 97.* Arg. *c. fin. ne Cler. vel
Monach.* Multoque magis citra irregularitatem hæc
potest à Principe Laico Jurisdictionem temporalem
habente constitutus. Ratio horum omnium est,
quòd talis commissio & delegatio non intendat di-
rectè Homicidium, sed rectam seu justam guber-
nationem & administrationem justitiæ, ex qua per
accidens & citra intentionem committentis post-
modum mors subsequitur. Covar. *l. c. n. 8.* Suar.
cit. f. 1. n. 5. §. seg. Mol. Avil. Pirh. *ll. cit.* Unde
etiam, si commissarius vel delegatus per injustam
sententiam accusatum condemnarat ad mortem,
committens & delegans, non incurrit irregularita-
tem; quia commissio fuit justa, & Commissarius
egrediendo terminos mandati, egit contra volun-
tatem committentis. Suar. Pirh. Laym. *ll. cit.* Ne-
que Principes, sive Clerici, sive Sæculares sunt
irregulares condendo leges vel statuta, quibus
transgressoribus imponitur pœna mortis vel mutila-
tionis; quia tales leges per se non ordinantur ad
Homicidium, sed ad bonam reipublicæ guber-
nationem, & ad vitandum Homicidium aliæque crimi-
na, Sylv. *v. Homicidium. 3. q. 7. dicto 9.* Suar. *f. 1.*
num. 7. Avil. *du. 5.* Pirh. *l. c.* Denique probabi-
liter non sunt irregulares istiusmodi Principes aut
Domini tam Clerici quàm Sæculares jurisdictionem
temporalem exercentes, si sententiam mortis ab in-
feriore iudice jam prolatam mitigant aut moderantur,
v. g. ut damnatus ad rotam vel ignem, capite
plectatur; quia non sunt causa mortis illius, sed po-
tius, ut omisso priori supplicio mitigetur condemna-
tio, qui est actus misericordiæ. Laym. *cit. c. 7. n. 4.*
Pirh. *num. 97.*

*Quest. 260. Quid sit de contrahenda ir-
regularitate, circa Theologos, Ca-
nonistas, Legistas, Confessarum,
aliòsque interrogatos à Judice super
causa sanguinis?*

R Esp. Hi, si publica authoritate assumpti, con-
stituti ad dandum in similibus resolutionem
vel consilium, sive Clerici, sive Laici sint. Secutà
juxta eorum responsa data hic & nunc in particulari
casu morte, sunt irregulares v. g. dicendo: Spectan-
do jura iste reus est suspendendus, comburendus &c.
vel, ego opinor, hunc vilem esse suspendendum,
quia satis propinque ad pœnam sanguinis concu-
runt, Suar. *cit. f. 1. n. 4.* contra Castrop. *l. c. §. 3.*
num. 7. citantem pro se, Hurt. *de irregul. diff. 11.*
num. 10. & dicentem, taliter respondentes non esse
irregulares, si publice ad hoc sint constituti; si vero
authoritate publicà ad hoc non constituti, privatim
à Judice interrogentur, respondeantque in genere,
explicando quid juris sit, seu quid de hujusmodi
malefactoribus jura statuunt, nihil suadendo circa
reum in particulari, non sunt irregulares, etiam si
prævideant, intellectu hoc, quid juris sit, Judi-
cem mortem inflicturum; quia talis Judicem ad
pœnam inferendam non incitat, aut monet, sed
solum aperit veritatem, & quid justum & licitum
sit, quo cognito, iudex per se ipsum movetur ad
infligendum pœnam. Quin & verisimile non est,
Ecclesiam mediante irregularitate voluisse impedi-
re, ne Theologi, Jurisperiti & Confessarii munere
suo & scientiâ salubriter fungantur, aut id, ad quod
jure divino dicendum tenentur, taceant, ita Gl.
communiter recepta *in c. ex literis, de excess. Præ-
lat. v. consultuit.* Mol. *de Just. tr. 3. d. 74. num. 6.*
Pirh. *h. t. n. 98.* Reiffent. *num. 101.* contra Sylv.
& Avil.

Quest.

Quaest. 261. Quid sit circa confessarium negantem Iudici nolenti condemnare Absolutionem, vel etiam obligantem poenitentem ad fatendum crimen in Iudicio?

R Esp. Confessarium negantem absolutionem Sacramentalem Iudici nolenti condemnare reum ad mortem, dum is ad hoc ex officio tenetur, non fieri per hoc irregularem; neque etiam confessarium obligantem poenitentem ad fatendum crimen dignum morte in iudicio, dum legitime is desuper interrogatus; cum confessarius in hoc casu per se & directe tantum impedire intendit peccatum Iudicis, quod is committit nolendo condemnare, dum ad hoc tenetur, uti & peccatum poenitentis, quod is committit nolendo fateri delictum, ad quod legitime interrogatus in iudicio tenetur. Idem est de confessario obligante poenitentem ad non appellandum legitime a sententia iusta, ex ea ratione, quod verisimile non sit, Ecclesiam voluisse statuta in his casibus irregularitate confessario, impedire, quod minus is rite & liberè posset fungi munere suo; Cum id cederet in detrimentum salutis. ita Pirh. n. 98. in fine. Reiffenst. num. 102. citantes Suar. f. 1. num. 4. Avil. l. c. f. 2. du. 7. Mol. l. c. d. 8. n. 8. Castrop. l. c. num. 8. Bonac. d. 7. q. 4. p. 1. n. 32. Laym. L. 3. tr. 3. p. 3. c. 7. n. 4.

Quaest. 262. Ex qua mutilatione oriatur irregularitas?

R Esp. Primò: Præter sparsim dicta h. t. de mutilatione, quod ex ea oriatur irregularitas, per eam hic intelligitur amputatio membri, quare ad eam non sufficit vulneratio & copiosa effusio sanguinis, nec abscissio partis carnis; quia caro non est propriè membrum. Suar. de cens. d. 44. f. 2. n. 6. quale est pars corporis humani, quæ peculiarem functionem sive distinctum ab aliis officium habet. Sylv. v. Homicidium. 3. q. 3. dicto 2. Covar. l. c. p. 3. num. 8. Nav. cit. c. 27. num. 206. Avil. l. c. f. 1. du. 1. Pirh. h. t. num. 119. & quale proinde non est cartilago aurium & nasi, & pars digiti aut etiam digiti, etiam pollex; quia etsi ad sensationem aliquid conferant, non tamen per illa exercetur principaliter sensatio. Pirh. l. c. Contrarium tamen sentientibus Suar. l. c. num. 7. & 8. Laym. l. c. n. 20. Nimirum, quod, etsi secundum leges civiles poenales nomine membri intelligatur integrum membrum principale v. g. pes, manus, oculus, secundum Canones tamen, quod ad irregularitatem non intelligitur integrum membrum tantum, sed etiam pars notabilis membri, cum requiratur absolute mutilatio iuxta Clem. unic. h. t. quæ sit notabili membri principalis diminutione.

2. Resp. Secundò: Ex hac itaque mutilatione secundum diversitatem harum sententiarum oritur irregularitas, utpote quæ æquiparatur Homicidio. c. in Archi-Episcopatu. de raptorib. cit. Clem. unic. junctâ Gl. v. mutilatio. Idque, sive per se directe, sive indirectè & per alium mandando, consulendo aliterve cooperando quis mutilaverit. Item sive mutilatio fuerit illicita, sive licita, sicuti quandoque est iuxta dicta de Homicidio. Mol. l. c. d. 68. in pr. Pirh. h. t. n. 121. ubi etiam ex Suar. cit. d. 44. f. 2. num. 3. & 4. Quod irregularitas mutilationis distincta sit ab irregularitate Homicidii, ut patet, dum percussus vel vulnerans animo tantum mutilandi, non occidendi, sit irregularis, non titulo Homicidii, sed præcisè causâ mutilatio-

nis hac secuta; ac ita, cum sint duæ irregularitates distinctæ, non omnia, quæ jure statuta sunt circa irregularitatem voluntarii Homicidii, extendenda sunt ad irregularitatem voluntariæ mutilationis.

3. Resp. Tertio: Lædendo reddens membrum aridum & inutile ad operandum citra abscissionem illius, non fit irregularis, cum jura non imponant irregularitatem debilitanti, aut aridum reddenti membrum, sed abscidenti illud; manet siquidem verum adhuc membrum conjunctum reliquo corpori, ut dicitur c. sicut. 1. q. 1. quamvis sine sanguine, mortuum, & ineptum ad operandum, & deformitatem, quam induceret abscissio illius, impedit. ita Nav. l. c. n. 206. Covar. l. c. p. 3. num. 9. Suar. l. c. num. 5. Pirh. num. 122. Unde jam, ut idem, Iudex non fit irregularis ita torquendo reum, ut membrum aliquod illius debilitetur & reddatur inutile.

4. Resp. Quarto membrum aliunde jam debilitatum & impeditum ad suum officium, omnino aridum seu mortuum, & animâ humanâ non amplius informatum, etsi id exterius non appareat, abscidens non fit irregularis per illam abscissionem; cum tale membrum mortuum sit quasi non membrum; quamvis qui membrum ita debilitavit & læsit, ut omnino arefceret & vitam perderet, etiam si à reliquo corpore non absciderit, censendus sit irregularis. Pirh. n. 223. uti & ille, qui membrum jam redditum inutile, vivum tamen adhuc, adeoque verum membrum abscinderet, non obstante, quod eo uti non potuerit; id enim per accidens est.

5. Resp. Quintò: Deformans aliquem ita notabiliter, ut ad Ordines promoveri nequeat, v. g. vulnerando faciem relicta deformi cicatrice, citra tamen mutilationem, non fit irregularis; quia præter Homicidium & mutilationem nulla alia irregularitas, quæ ex læsione corporis inducatur, est in jure expressa. Ita Suar. l. c. num. 12. Nav. & Pirh. h. t. cit. & alii communiter contra Sylv. His non obstante, quod taliter deformatus fiat irregularis; cum non semper reddens alium irregularem, per hoc ipsum reddatur irregularis, sed tunc tantum, quando id in jure expressum est, ut si aliquem deformet per mutilationem. Quæmadmodum etiam è contra mutilans fieri potest irregularis absque irregularitate mutilati, v. g. dum quis invitus per injuriam est castratus.

6. Resp. Sextò: Tametsi mutilando se ipsum fiat quis irregularis, eodem modo, quo fieret irregularis mutilando alium, mutilatio tamen sui ipsius sufficere potest, quæ in alio facta non sufficeret, sic si quis sibi partem digiti volens abscinderet, fit irregularis, & talis non fit, si eam alteri abscinderet. c. qui partem. dist. 25. Suar. l. c. n. 10. Nava. num. 217. Pirh. num. 124.

Quaest. 263. Quid Papa possit circa dispensandum in irregularitate, proveniente ex Homicidio vel Mutilatione?

R Esp. Sicuti in qualibet alia irregularitate, ita etiam in irregularitate orta ex quocunque Homicidio dispensare potest; cum omnis irregularitas non nisi Jure Ecclesiastico inducta sit, tanquam certum & indubitatum, constat ex Can. inferior. dist. 21. & c. proposuit. de concess. præbend. Unde dum dicitur, irregularitatem ex Homicidio præsertim injusto esse indispensabilem, sensus non est alius, quàm quod non nisi rarò & difficillimè in ea dispensare soleat. Abbas in c. sicut. h. t. n. 12. Covar.

Covar. in *Clem. unic. h. t. p. 2. §. 3. n. 3.* cum communi.

Quaest. 264. Quid possit vel non possit Episcopus circa dispensandum ab hac irregularitate?

1. **R**esp. Primò: Episcopus tamen in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto dispensare possit, non tamen in proveniente ex homicidio voluntario occulto, multoque magis publico, ut constat ex *Trid. sess. 24. c. 6. de reform.* idque etiam in ordine ad quaecunque beneficia, etiam simplicia, officia ecclesiastica & ordines minores, ut patet ex eodem *Trid. sess. 14. c. 7.* ubi quis suâ voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi occultum, nullo tempore ad Ordines (quo verbo absolute prolato veniunt etiam minores) promoveri possit, nec illi aliqua beneficia ecclesiastica conferre liceat, sed omni ordine & beneficio ac officio perpetuo careat; sed nec olim ante Trident. in ea dispensare potuit quò ad Ordines sacros suscipiendos, aut in iis ministrandum, aut acquirendum beneficium curatum. *Sylv. v. homicidium. 3. q. 8. dicto 4. & 6. Covar. l. c. n. 5. Pirh. h. t. n. 125. Arg. c. minor. dist. 50. & ibi gl. v. minor. & c. 2. de Cler. pugnans. in dncell. potuit tamen in ordine ad Ordines minores & beneficium simplex (quod in materia dispensationis, utpote derogante jure communi, adeoque strictè accipienda, solum venit eo nomine simpliciter prolato) dispensare. Arg. cit. c. minor. atque ita Trident. potestatem Episcoporum restrinxit. Sed neque vi illius dispensare potest Episcopus in irregularitate proveniente ex homicidio iusto, quam ob defectum lenitatis perfectæ contrahunt Judices, accusatores, testes &c. item milites in bello aggressivo iusto occidentes alios, *Suar. de irregular. d. 47. f. 6. in fine. Nav. l. c. n. 217. & l. 5. concl. can. 19. h. t. Laym. l. c. c. 12. n. 5. Avil. de cens. d. 6. f. 5. du. 1. concl. 1. Gutt. 44. can. h. 2. c. 6. n. 170. Garc. de benef. p. 7. c. 11. n. 40. Castrop. de cens. d. 6. p. 14. §. 7. n. 6. Pirh. n. 129. contra Covar. l. c. §. 3. in fine, ex ea ratione, tum quòd tale homicidium, utpote auctoritate publicâ factum, etsi sit iustum, directè tamen & in se sit volitum, tum quia Trident. non concedit Episcopis facultatem dispensandi nisi in irregularitate orta ex delicto, ea autem non oritur ex delicto. Quod si tamen Clericus contra Canones in bello iusto pugnans propriâ manu occidat, ac ita fiat irregularis, poterit cum eo dispensare Episcopus, ed quòd, licet tale homicidium sit illicitum contra prohibitionem Juris Canonici propter indecentiam statûs, non tamen est injustum; in Decreto autem Concilii in ordine ad indispensabilitatem comprehenditur solum homicidium injustum, *Pirh. l. c. cum Avil. l. c. f. 5. du. 5. in fine, idem dicente de Clerico, qui accusavit, vel testis aut Advocatus fuit in causa sanguinis sine protestatione.***

2. **R**esp. Secundò: è contra potest Episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio casuali, aut etiam ex proposito, directè non intento, sed ad summum indirectè in causa; quia tale homicidium, etsi non sit merè casuale, non est tamen nisi imperfectè & secundum quid voluntarium & quasi mixtum ex casuali & voluntario, ut *D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 8.* adeoque probabiliter à Trident. non comprehensum in exceptione homicidii voluntarii, & ita docent *Nav. l. c. n. 240. Suar. cit. D. 44. f. 1. n. 4. Avil. cit. du. 5. Henriq. l. 14. c. 19. n. 2. Laym. l. c. n. 4. Pirh. n. 127. contra Mol. tr. 3. d. 3. §. illud admonuerim. Azor. Tom. 3.*

l. 2. c. 14. Cajet. 2. 2. q. 64. a. 8. quatenus censent, omnie homicidium, tam indirectè, quam directè volitum, imò, etsi sit nolitum, inter homicidia voluntaria, adeoque indispensabilia, numerandum. Pro exemplo talium homicidiorum ab Episcopo dispensabilium AA. referre solent sequentia; si quis mulierem prægnantem incautè percussit, causavit abortum; si quis regulam improvidè ex toto deiciens hominem occidit; si quis alium iniquè percussit mandavit, prohibens, ne occideretur, mandatarius tamen limites mandati egressus illum occidit. Si quis ad rixam provocatus percussit tantum animo accessit, dein tamen, ne ab eo occideretur, occidit; ita *Laym. modò* tamen talia homicidia sint occulta, ut mox dicetur amplius, item potest Episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio commisso sui defendendi gratiâ, dum defendens moderamen iuculpatæ tutelæ excessit. *Avil. cit. d. 5. concl. 1. Nav. l. c. n. 239. Laym. l. c. n. 2. Gutt. 99. can. l. 1. c. 65. n. 13. Barb. in Trid. à potestate dispensandi in irregularitate ex homicidio proveniente solum excipit homicidium illicitum, directè & simpliciter voluntarium, homicidium autem pro sua defensione factum cum excessu moderatæ tutelæ, illicitum quidem est ratione hujus excessûs, non tamen, directè & simpliciter voluntarium, quia non sponte sed coactè factum ob necessariam sui defensionem, in qua solum quò ad modum peccatum. Dum *Trid. sess. 14. c. 7.* dicit: dispensationem irregularitatis ex facto homicidio casu aut vim vi repellendo committendam esse Ordinario loci, per hoc non indicat, Episcopo eam non commissam, sed per Papam hic & nunc committendam; nam loquitur ibi de homicidio casuali aut necessario publico; siquidem, dum homicidium casuale vel factum defensionis gratiâ est notorium & publicum, vel ad forum contentiosum jam deductum, dispensare in irregularitate inde orta nequit Episcopus potestate sibi concessâ à Tridentino, sed eger speciali Commissione Pontificis. *Bonac. de cens. d. 1. q. 3. p. 2. n. 2. Sanch. de matr. l. 2. d. 37. n. 12. Gutt. 99. can. l. 1. c. 3. ad finem. Pirh. l. c. quos citat & sequitur Reiffenst. h. t. n. 225.**

3. **R**esp. Tertiò: Specialiter de mutilatione omnino probabile est, Episcopum dispensare posse in irregularitate orta ex quacunque mutilatione, etiam injusta, voluntariè & directè intenta, occulta tamen. *Nav. in man. c. 23. n. 240. Garc. de benef. p. 7. c. 11. à n. 3. Suar. de cens. d. 44. f. 1. n. 4. Laym. cit. c. 12. n. 1. Barb. ad Trid. sess. 24. c. 6. n. 36. Dian. p. 4. tr. 2. resol. 7. Tolet. l. c. c. 48. n. 6. Castrop. tr. 29. d. 6. p. 15. §. 3. n. 3. referens insuper plures alios. Reiffenst. n. 226. & alii communiter contra Sanch. l. 1. mor. c. 10. n. 40. ex ea ratione, quòd Trident. l. c. dispensationi Episcopali solum subtrahat irregularitatem ortam ex homicidio voluntario, quòd que potestas dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto sit late interpretanda, utpote beneficium Principis, & quidem juri insertum, concessumque non tam personæ quàm dignitati Episcopali. His non obstantibus, quòd mutilatio & homicidium æquiparentur; quò ad causandam irregularitatem. *Arg. c. si quis absciderit. d. 55.* nam etsi quò ad hæc æquiparentur, non tamen æquiparantur quo ad gravitatem culpæ & dispensationem.*

Quaest. 265. Quinam inferiores Episcopo dispensare possint in irregularitate orta ex homicidio & mutilatione?

1. **R**esp. Superiores Regulares cum suis subditiis dispensare posse in irregularitate proveniente

ente ex homicidio & mutilatione illicitis, non tantum casuali & ob defensionem sui cum excessu inculpata tutelæ, sed etiam directè voluntariè intento, occulto tamen, vi specialium privilegiorum ipsis per varios Pontifices concessorum testantur. Rodri. Tom. 1. 99. regul. 9. 24. a. 12. Mirand. in man. Tom. 2. 9. 8. conclus. Portel. in dub. regular. v. dispensare. n. 8. Donat. Tom. 2. rr. 11. 9. 9. & seq. Pelliz. p. 1. rr. 10. c. 20. 9. 24. & seq. quos refert Reiffenst. b. t. n. 228. sic Castrop. l. c. n. 4. ait, concessam Prælati Ordinum mendicantium facultatem in omnibus irregularitatibus in foro conscientie, modò procedant ex delicto, quod notorium non est, ut constat ex Compend. privileg. Societat. v. dispensatio. §. 5. & 6. quæ potestas reservatur in Societate ejusdem Præpositi Generali, & quibus ipse commiserit. Circa quod notandum, cum Laym. cit. c. 12. n. 4. quod, si facultas dispensandi concessa regularibus tantum, pro foro conscientie eà non facile uti debeant, si factum sit notorium; siquidem in foro externo talem dispensationem Episcopi admittere non coguntur. Ceteros, quibus concessum privilegium dispensandi in omni irregularitate, excepto homicidio voluntario & bigamia, posse dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio indirectè & imperfectè voluntario, & in eo, quod factum est causâ defensionis cum excessu inculpata tutelæ, uti & in proveniente ex homicidio justo, in milite Judice, accusatore, teste, &c. ob defectum lenitatis, asserunt Pirh. n. 130. Laym. l. c. n. 4. citatis Cajet. in sum. v. irregularitas. Armill. eod. v. n. 13. Hentiq. l. c. c. 17. n. 5. lu. R. Avil. l. c. f. s. du. 1. Rodriq. l. c. a. 8. quia nomine homicidii indispensabilis, id est, super cujus irregularitate dispensationem in omnibus privilegiis sibi reservare solet Papa, intelligitur homicidium voluntarium injustum, ita Laym. qui tamen addit, quod, si Clericus in bello justo pugnans propriâ manu occiderit, possit cum eo dispensare illum, qui privilegium dispensandi in omni irregularitate, excepto homicidio, habet; cum quo qualiter subsistat, quod paulò antè retuli ex Reiffenst. superiores regulares ex privilegio (intellige passim illis hodie concessio) dispensare posse in homicidio directè voluntariè intento, quod utique factum privatâ autoritate injustum est, non video.

2. Dixi jam aliquoties, similia privilegia locum habere solum in homicidio occulto, sciendum est, homicidium, sicut & aliud delictum occultum dici

illud in ordine ad obtinendam dispensationem, quod probari nequit. Abb. in c. vestra de cohabit. Cler. & mul. n. 7. & Fagn. ibid. n. 45. Unde ad propositum adhuc esse, & dici homicidium occultum, etsi de eo quis diffamatus aut suspectus sit, si factum nemine præteate, vel uno tantum aut etiam pluribus, qui vel jure vel factò à ferendo contra delinquentem testimonio sunt impediti. Reiffenst. b. t. n. 230. quin imò in ordine ad dispensandum sufficienter dici homicidium occultum, quod licet factum coram pluribus, adeoque probari possit, non tamen pluribus quàm duobus, tribus aut quinque notum est, adeoque caret notorietate facti & juris, utpote de quo delinquens nec confessus, nec convictus, nec per sententiam aliquam declaratoriam criminis judicatus, ad propositum docent gl. in c. manifesta. 2. q. 1. absolute dicens, occultum dicitur, quod quinque sciunt, item Navar. l. c. n. 255. Sanch. de mat. l. 8. d. 34. n. 55. Franc. Leo in praxi S. penit. p. 2. c. 6. n. 6. Reiffenst. n. 231. affirmans plures graves Doctores id probabile censere, videnturque idem apud eundem tenere Barb. in Trid. l. c. c. 6. n. 6. allegans plures. Arg. cit. c. vestra. Porro homicidium occultum distingui à non deducto ad forum contentiosum, patet ex eo, quod deductum ad forum contentiosum dicatur illud solum, ut Barb. de off. & potest. Episc. alleg. 39. à n. 29. Dian. p. 4. rr. 2. resol. 93. Gavant. man. Prælat. v. absolutio. n. 12. Fetin. pr. crim. q. 10. n. 55. in fine, super quo ad Judicem jam delato, facta est litis contestatio, dum nimirum partes invicem contradicunt & contendunt in judicio, potest autem esse delictum non occultum, sed notorium & publicum, absque eo, quod non sit deductum ad forum contentiosum. Trid. verò prohibet non tantum dispensationem, quando homicidium delatum est ad forum contentiosum, sed etiam quando est aliunde notorium & publicum, quale, quia est & manet notorium, etiam notorietate juris, postquam in foro contentioso cognitum & judicatum de eo, non poterit Episcopus in irregularitate ex eo orta dispensare, ut probabilius videntur sentire Garc. l. c. n. 50. Gutt. l. c. c. 3. n. 10. Barb. l. c. n. 35. Bonac. l. c. d. 7. q. 5. p. 1. n. 6. Castrop. rr. 29. d. 6. p. 7. n. 13. quos citat & sequitur Reiffenst. n. 235. contra Laym. l. 1. rr. 3. p. 5. c. 9. n. 5. Sanch. l. 2. mor. c. 11. n. 2. & alios, docentes, posse Episcopum dispensare post litis contestationem, postquam lis jam finita est.

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

Quest. 266. Torneamenta quid sint & quotuplicia?

R Esp. Torneamenta: Germanicè Thurnier, sunt nundinæ seu feriæ & hastiludia seu pugnæ equestres, quibus milites, vel ut superioribus sæculis frequentius fiebat, in Germania Nobiles equestri Ordinis ex condicio convenire & ad ostensionem virtutum, animositatis & tractandorum armorum peritiæ congregari solebant, ut sumitur ex c. 1. h. t. & refertur à Gonz. ibid. n. 5. duplicis ea sunt generis, seu duplici modo fieri solebant, nimirum vel temerè & ordinariè non sine mortis periculo hastis acutas cuspides præfixas habentibus aliisque armis ad infligenda vulnera expeditis, vel absque temeritate & mortis pe-

riculo, congregiendi hastis cuspidibus aliisque armis hebetatis, vel loriciis galeisque probe muniti.

Quest. 267. An & quenam torneamenta prohibita?

R Esp. Primò: Primi quidem generis jure ff. veteri l. qua actione. §. 4. ff. ad leg. Aquil. l. solent. ff. de aleator. permissa videbantur, ex post jure novo Codicis l. unic. c. de gladiator. ac præcipuè Jure Canonico c. 1. & 2. hoc tm. prohibita, idque propter cædes & animarum pericula, exinde frequenter evenire solita, ut dicitur cit. c. 1. unde detestabiles (intellige nundinæ seu feriæ) vocantur. Posterioris verò generis etsi prohibita quæque olim sub excommunicatione à Clem. V. Constitutione, quæ inci-